König, E. De nominibus propriis apud Plautum et Terentium.
Progr. Patschkau 1876.

Jahres-Bericht

über das

Städtische Katholische Gymnasium

zu Patschkau

für das Schuljahr 1875—1876,

womit zu der

am 10. August abzuhaltenden öffentlichen Prüfung

und dem

am 12. August stattfindenden Actus

ergebenst einladet

das Lehrer-Collegium.

Inhalt: a) De nominibus propriis, quae sunt apud Plautum et Terentium. Vom Oberlehrer E. Koenig.
b) Schulnachrichten. Vom Oberlehrer Dr. Larisch.

Patschkau.
Druck von Ed. Hertwig.
1876.

1876. Progr.-Nr. 159.

1883. Jan. 9.
Salisbury Fund.

De nominibus propriis, quae sunt apud Plautum et Terentium.

ἀλαζὼν ἐστι μάρτυρ ἡ ἐτυμολογία πολλάκις ὁμοίως μαρτυροῦσα τοῖς τἀναντία λέγουσι.

Galenus.

Nomine hominis nihil magis proprium esse potest; ejus est ab introitu in vitam usque ad excessum; memoria ejus in nomine vivit vigetque. Itaque initio apud omnes populos nominibus propriis certam quandam fuisse notionem, qua, cujus erat nomen, natura natio ingenium opes all. designarentur vel ipse deorum daemonumque tutelae crederetur vel bonum omen in nomine esset, nemo est quin non ignoraverit.[1]) Atque postquam illarum significationum memoria jam evanuit neque nomina ulli rei debebantur, nisi arbitrio parentum, tamen erat, ubi prisca consuetudo teneretur. Id praecipue in comoedia factum est. Cujus quum sit proprium officium vitam mores res humanas in universum depingere, typicas ut ita dicam personas in ea locum habere necesse est, quibus nomina cum ipsarum moribus all. congruentia sunt danda.[2]) Hominum autem vitaeque veritatem non effingi, sed rem a propriis personis ac temporibus ad universi generis rationem esse traductam poëtae comici ipsis nominibus, quae tribuunt personis suis, demonstrant: *οὐ στοχάζεται,* inquit Aristoteles, sagacissimus ille harum rerum existimator,[3]) *ἡ ποίησις ὀνόματα ἐπιτιθεμένη . . . . ἐπὶ μὲν οὖν τῆς κωμῳδίας ἤδη τοῦτο δῆλον γέγονεν· συστήσαντες γὰρ τὸν μῦθον διὰ τῶν εἰκότων οὕτω τὰ τυχόντα ὀνόματα ἐπιτιθέασιν καὶ οὐχ ὥσπερ οἱ ἰαμβοποιοὶ περὶ τῶν καθ' ἕκαστον ποιοῦσιν.* Item Donatus[4]) personis comicis nomina saepe ejusmodi esse indita monuit, quae eorum factis officiis moribus all. responderent. ‚Nomina, inquit, personarum, in comoediis duntaxat, habere debent rationem et etymologiam. Etenim absurdum est comicum aperte argumenta confingere vel nomen personae incongruum dare vel officium, quod sit a nomine diversum.' Quocum facit Quinctilianus,[5]) qui, quum frigidum nominet, si in tragoediis nomen proprium ut argumentum morum usurpetur, ‚Jocorum tamen ait ex eo frequentem materiam esse.' Atque Lessingius de eadem re haec disputavit[6]): ‚Die Comödie gab ihren Personen Namen, welche vermöge ihrer grammatischen Ableitung und Zusammensetzung[7]) oder auch sonstigen Bedeutung die Beschaffenheit dieser Personen ausdrückten; mit einem Worte, sie gab ihnen redende Namen, Namen, die man nur hören durfte, um sogleich zu wissen, von welcher Art die sein würden, die sie führen. — Man darf nur die Namen bei Plautus und Terenz untersuchen. Da ihre Stücke alle aus dem Griechischen genommen sind, so sind auch die Namen ihrer Personen griechischen Ursprungs,[8]) und haben der Etymologie nach immer eine Beziehung auf den Stand, die Denkungsart oder auf sonst etwas, was diese Personen mit mehreren gemein haben können, wenn wir schon solche Etymologie nicht immer klar und sicher angeben können.' Et[9]) ‚Der grosssprecherische feige Soldat hiess daher nicht wie dieser oder jener Anführer:

---

[1]) Pott Personennamen p. 3 sqq., p. 16 sq.; Pape lex. nom. p. XV. [2]) Pott l. c. p. 31. [3]) Poet. cap. IX. [4]) Adolph. I. 1. 1. [5]) V. 10. 31. [6]) Hamb. Dram. p. 427 sqq. Hempel. [7]) Id Plauto potissimum in deliciis fuit. [8]) Non omnia cfr. p. 6. [9]) l. c. p. 429.

er hiess Pyrgopolinices, Hauptmann Mauerbrecher. Der elende Schmarutzer, der diesem um das Maul ging, hiess nicht wie irgend ein armer Schlucker in der Stadt: er hiess Artotrogus Brockenschroeter. Der Jüngling, der durch seinen Aufwand, besonders auf Pferde, seinen Vater in Schulden stürzte, hiess nicht wie der Sohn dieses oder jenes edlen Bürgers, sondern Phidippides, Junker Sparross'.[1]) Pergit Donatus[2]): ,Hinc servus fidelis Parmeno, infidelis vel Syrus vel Geta, miles Thraso vel Polemo, juvenis (amator) Pamphilus, matrona Myrrina: et puer ab odore Storax vel a ludo et a gesticulatione Scirtus[3]): et item similia. In quibus summum poëtae vitium est, si quid e contrario repugnans contrarium diversumque protulerit, nisi per antiphrasin nomen imposuerit joculariter, ut Misargyrides in Plauto[4]) dicitur trapezita. Et fere hoc modo apud alios a poëtis nomina componuntur describenda per antiphrasin, quod designat Storax.' Quare quum personae comicae causam et patrocinium omnium personarum ejusdem generis susceperint, nomina illa quasi loquentia usurpantur, ita tamen ut etiam propriis lineamentis ab aliis ejusdem generis personis distinguantur, non omnes servi, omnes parasiti all. eandem personam induerint; unde nomen ex his propriis moribus cuique sumi potest.

Quae nomina, quibus vis certa est, etsi maxime per novam comoediam, quae in imitandis domesticis actibus ac patrum liberorum, uxorum servorum rationibus se continebat, in usum venerunt, tamen jam a principio comoedia illorum opera utebatur et antiquissimi illi poëtae comici veris personis eorumque nominibus fere solas fictas personas admiscebant, iis nominibus indutas, quae illorum mores et vitae rationem significarent,[5]) velut apud Aristophanem[6]) sunt Euelpides, homo credulus bonus, Pisetaerus vel Pithetaerus, princeps factionis, Trochilus servus caet. Quod minime neglectum est a comicis posteriorum gentium, si summos respeximus. Id testantur nomina illa jocosissima ex ,Diableries des Français', fabulis diabolicis medii aevi, scriptis satiricis nostris sec. XVI petita[7]) et nomina, quibus Shakspearius, doctissimus ille Anglorum poëta, in comoediis usus est[8]); ejusmodi nominum largam copiam finxit etiam Wielandius.[9]) Idque apud Italos et Romanos maxime moris fuisse non mirum est, quippe quorum poësis popularis talibus nominibus et personis uteretur.[10])

Vestigia igitur anteriorum poëtarum presserunt Plautus et Terentius, quum hominibus, qui partes fabularum eorum agunt, nomina indiderunt, quae vel dignitatem cfr. Theotimus, Theodoromedes all., vel mores eorum cfr. Diabolus, Saurea, Megadorus, Megaronides, Lesbonicus, Lysiteles, Eunomia, Sophrona, Phronesium, Lucris, Strabax, Stratyllax, Chremes, Strobilus, Palinurus, Planesium, Lyco, Labrax, Epidicus, Cacistus, Pseudolus, Harpax, Parmeno all., vel quibus rebus vacent cfr. Anthrax, Gongrio, Cyamus, Archilis, Exaerambus, Lampadio, Sceparnio, Gripus, Sparax, Gorgo, Colaphus, Cordalio, Corax, Hippolytus, Aeschrodora, Xystilis, Gymnasium, Delphium all., vel consuetudinem cfr. Dromo, Lurcio, Curculio, Artotrogus, Miccotrogus, Peniculus, Gelasimus, Scirtus, Gnatho, Philocomasium all., vel formam atque speciem corporis vestitusque Byrrhia, Trachalio, Crocotium, Pithecium, Pinacium, Grunio, Stalagmus, Milphio, Milphidippa, Simus, Simalio,

---

[1]) ,Herr v. Sparroessel' Pott l. c. p. 31. [2]) l. c. [3]) Ita enim pro ,Circus' legendum est, quum Circus nullibi nomen servi sit et Donatus ipse Hec. I. 2. 3 nomen Scirti sic explicaverit. [4]) Most. III. 1. 41. [5]) Lessing. l. c. p. 429 sqq. [6]) In Avibus cfr. Ἀποδρασ-ιππίδης Ἐπικεχοδώς, Φερέδειπνος etc. [7]) Velut Tutte vile (toute vilain, totus vilanus), Funkeldune (vino obrutus), Licketappe (lambe truncum). [8]) Servis haec nomina sunt: Caliban, Eile, Lanz, Grumio (ex Plauti Most. receptum); scurris: Trinculo, Prüfstein; sacerdotibus: Textwässerer, civibus: Quitte, Plump, Boden, Schnautz, Hungerling, Schaum; pastoribus: Tölpel, Mopsa, Dorcas: nymphis: Erbsenblüthe, Spinnwebe, Motte all.; judicibus eorumque ministris: Schaal, Holzappelessig, Hundbeer, Dumm; nobilibus: Ruelps, Fieberwange all. [9]) Cujus ex Abderitibus haec attulisse satis sit: Mulieribus facilibus, formosis sunt nomina: Philinna, Myris, Pithoeka, Salabanda, Klonarion, Krobyle, Eukolpis (pinguis citharistria); sacerdotibus: Charox, Pamphagus, Agathyrsus, Strobylus; sycophantis: Physignatus, Polyphonus; archontibus: Onolaus, Onobulus, Onokradias; poëtis: Thlaps, Hyperbolus (III 3); Aphron est dux ignavus, Antistrepsiades homo garrulus. Adde sutorem Pfriem, scribam ,Pyrops', senatores ,Hypsiboas', ,Polyphonus' (IV, 14 p. 75 Hempel), ,Stentor', ,Bucephalus', ,Buphranor'; agasonem ,Anthrax' all. all. cfr. Pott. l. c. p. 31. [10]) Bernhardy R. L. § 74 p. 430 IV Maccus Harlekin, Bucco Tölpel, Pappus der geizige, verliebte, betrogene Alte, Dossenus Charlatan cfr. l. c. not. 331.

Simo, Simmia, Strabax, Machaerio, Selenium, Pardalisca, Dorcium, Donax, Staphyla all. all., ostendant vel per antiphrasin eos notent, velut Nicobulus, ‚consilio superior' senex est stolidus a Chrysalo emunctus, Theopropides a Tranione illusus, Saturio Pers. 103, Stich. 242, qui nunquam satur fit, Tranio ‚sincerus', qui omnes illudit et decipit, Artotrogus homo gulosus, Stasimus servus nequam, Dromo tardi ingenii ergastularius Andriae, Ergasilus, Aristophontes, Philopolemus (Capt. II. 2. 12), Pyrgopolynices, Misargyrides, Storax[1]) all. Cui quum ingenii lusui Plautum potissimum videamus indulsisse, minus in Terentio id deprehendamus, perfectissimae notationis nominibus conspicuae laudem non omnem Graecis prototypis, sed partim Plauti ipsius ingenio deberi apparet.

Romanos autem, qui illa audiverunt nomina, sensum etiam graecorum probe intellexisse testantur multae illae voces graecae, quibus Plautus utitur; unde perspicitur vulgus urbanum jam tum Latinum sermonem vocibus graecis distinxisse,[2]) sicut apud nos ii, qui sibi eruditi videntur, verba ex Francogallica vel Anglica lingua petita in deliciis habent iisque nostrum sermonem inquinant. Quare ii, qui audiebant, personarum illarum quae essent propriae facultates, qui mores sensusque, quae officia, ipsis nominibus admonebantur. Non raro autem Plautus propria vocis notione neglecta nominis specie tantum atque forma lusit, vel nomen a Graecis tractum latino composuit, quod earundem litterarum erat. Cujus lusus quum exempla nusquam collecta legerim, h. l. coacta propono.

Amph. I. 1. 149 (305): ‚Formido male, Ne ego hic nomen meum commutem et Quinctus fiam e Sosia'.
ib. 227: ‚Amphitryonis te esse ajebas Sosiam? — Peccaveram: Nam Amphitryonis socium med esse volui dicere'.
Capt. III. 4. 46 ‚Non equidem me Liberum, sed Philocratem esse ajo'.
Curc. I. 1. 77: ‚Nomen Leaenaest. — Quasi tu lagaenam dicas. —'
ib. IV. 4. 30 (586) ‚In tritico facillime Vel quingentos Curculiones[3]) pro uno faxo invenias'.
Cist. II. 1. 41 alluditur ad nomen Melaenidis: ‚Tu me delenis' i. e. Tu, Melaenis, me delenis.
Bacch. I. 1. 19 (53) Quia, Bacchis, Bacchas metuo et bacchanal tuum'.
ib. I. 2. 21 (129) ‚Non omnis aetas, Lyde,[4]) ludo convenit'.
ib. II. 3. 6: ‚Est opus chryso Chrysalo'.
ibid. 128: ‚Facietque extemplo Crucisalum me ex Chrysalo'.[5])
ibid. 49 ‚Adeon me fuisse fungum, ut qui illi crederem!
Cum mi ipsum nomen ejus Archidemides
Clamaret dempturum esse, si quid crederem'.
ib. III. 1. 4: ‚Bacchides non Bacchides, sed Bacchae sunt acerrumae'.
ib. IV. 4. 53: ‚Quid mihi refert Chrysalo esse nomen, nisi factis probo'.
Mer. II. 1. 38 ‚Propterea huic urbi nomen Epidamno inditumst, Quia nemo ferme huc sine damno devortitur'. cfr. 267.
ib. 2. 12 Perperam Peniculi nomen intellegens Messenio dicit: ‚Eccum! in vidulo salvom fero'.
ib. 3. 40: ‚Quis istest Peniculus? quî extergentur baxeae?'
ib. 294 ‚Seu tu Culindrus, seu Colindrus, perieris'.
Mil. II. 3. 16 ‚Quod ego, Sceledre, scelus ex ted audio?'
ib. 59: ‚Nescio, quae te, Sceledre, scelera suscitant'.
ib. 6. 14: ‚Tun, Sceledre, hic, scelerum caput?'
Pseud. II. 1. 10 ‚Ballionem exbalistabo lepide' cfr. Bacch. IV. 4.
ib. 2. 58 ‚Apage te, Harpax, haud places.
Huc quidem hercle haud ibis intro, ne quid Harpax feceris'.
ib. 60: ‚Hostes vivos rapere soleo ex acie, ex hoc nomen mihi est. —
Pol te multo magis opinor vasa ahenea ex aedibus'.
ib. 4. 22. ‚Euge! jam *χαίρειν Χάρινον* volo' vel Euge! jam *χάριν τούτῳ ποιῶ*'.

---

[1]) cfr. p. 2. [2]) Mommsen R. G. I. p. 892 V, Varro de l. l. VII 82. Corssen II. p. 816. Itaque Ennius nominum Alexandri, Andromachae originationem spectatoribus notam esse praesumsit. [3]) Curculio ‚Kornwurm'. [4]) Plautus: ‚Lude'. [5]) Plaut.: ‚Crusalo'.

ib. 47 ‚Non Charinus[1]) mihi quidemst, sed Copia'.
ib. I. 2. 92 ‚Cras, Phoenicium,[2]) poenicio corio invises pergulam'.
Poen. III. 3. 35: ‚Canes compellunt in plagas lepide Lycum'.
ib. 3. 33: ‚Hunc nunc, Lyce, ad te diripiendum adduximus'.
V. 5. 53: ‚Utrumvis est, et leno et Lycus'.
III. 5. 31: ‚Lupo agnum eripere postulant; nugas agunt'.
I. 1. 59: ‚Ita decipiemus fovea lenonem Lycum'.
IV. 2. 64: ‚Continuo iste me ex Syncerasto crurifragium fecerit'[3])
Pers. I. 3. 21 ‚Mendacium edepol dicis atque id hau decet. Nam Essurio venio, non advenio Saturio'.[4])
IV. 4. 72 sqq. ‚Lucridi nomen in patria fuit. — Nomen atque omen quantivis jamst pretii. — Mihi quoque Lucridem confido fore te'.
Rud. III. 5. 48 ‚Haec quidem Palaestra, quae respondit, non meast'.
Stich. I. 3. 20. Gelasimo nomen mihi indidit parvo pater, — Quia jam a pausillo puero ridiculus fui. — Propter paupertatem hoc adeo nomen repperi — Eo, quia paupertas fecit ridiculus forem. cfr. Men. I. 1. 1. — Nunc ego nolo ex Gelasimo mihi te Catagelasimum[5]) cfr. I. 3. 64.
Trin. IV. 2. 135 ‚Proin tute itidem, ut Charmidatu's, rursum te decharmida'.
ib. IV. 2. 48 sq.: ‚Pax, id nomen mihi: — Edepol nomen nugatorium: Quasi dicas, si quid crediderim tibi, pax' periisse ilico.
Truc. I. 1. 58 ‚Nam mi haec nunc meretrix, quae hic habet Phronesium',
Suum nomen omne ex pectore exmovit meo.[6])
Vidul: Cacistus servus: ‚Mei simile consilium' i. e. pessimum. Unum exemplum Terentianum proferre possum: Andr. V. 4. 40 ‚Egon hujus memoriam patiar meae
Voluptati obstare', quibus verbis fortasse ad nomen Glycerii festive alluditur.

At certe falleremus, si omnibus nominibus, quae sunt apud poëtam utrumque, naturam mores all. personarum ostendi putaremus; non pauca ita sunt usu trita, ut huic tantum rationi debeantur. Sed poëtae ubique id praeceptum observaverunt, ut liberalis condicionis personis nomina quoque liberis digna darentur cfr. Trin. IV. 2. 61 ‚Quid ei est nomen? Quod edepol homini probo'. Itaque etiam homines, qui nominantur tantum, nomina, etsi semper pervulgata, tamen aptissima acceperunt, cfr. Glycera (Mil.), Hippolytus (Capt.), Naucrates (nautarum dominus Amph.), Periphanes (mercator dives Asin; senex Epid. cfr. III. 4. 13 sqq.), Diaboli pater vocatur Glaucus, Sosiae Davus, Theotimus (sacerdos); Eleusium, Phrygia (tibicinae), Syrus (Pseud. ut nomen servile frequentissimum), Diapontius (Most.), Artamo (lorarius), Dromo Machaerio (coqui), Pelago (Ephesius); cfr. imprimis Trin. IV. 2. 71 sqq., Asin. V. 2. 15 sqq., ubi qui ‚Chrestum' pro ‚Cliniam' ediderunt, poëtae verba non perceperunt; Babylo (Micio Adelph.), Cratinus (vir dives Ad.) all. Quare apud Plautum vel nomen ipsum ubique monstrat, cujus condicionis sit persona, jamque hac de causa dubium non est, quin matronarum nomina ‚Panegyris' ‚Pinacium' in Sticho poëtae non debeantur, ‚Lucris', quod Ritschl praef. Pers. p. XI fortasse verum virginis nomen esse putavit, quum virginem liberam non deceat, a Saturionis filia fictum sit.[7]) all. Quod de Terentio est ubi statui nequeat; nam Pamphilae nomen tum virgini tum meretrici, Chremetis tum seni tum adolescenti tribuit all.

Atque etiam persaepe nominum veriloquia recondita sunt, etiamsi, quod semper fere fieri oportet, ad *πρωτότυπα* graeca recurratur. Multa enim horum, ut omnino veterum Graecorum, nomina inveniuntur ad explicandum adeo obscura, ut de eorum interpretatione,

[1]) Plaut.: Carinus. Nomen joculariter a carere deduxit. [2]) Plaut.: Poenicium. [3]) ‚Wird mein Name nicht mehr Ganzig, sondern Bruchbein sein' (Rost). [4]) ‚Als Hungermann komm ich, nicht als Sattermann'. [5]) cfr. 382. [6]) Librarius quidam explicandi causa addidit: ‚Phronesium, nam φρόνησις est sapientia'. [7]) Deinde etsi virgo in illa scena dedita opera contraria veritati declinat, ne mentitur quidem, quod sibi nomen Lucridi indidit, quippe quae revera in patria lucrum facere debeat; denique Toxili verba IV. 4. 72 ‚Nunc metuo ne peccet' et v. 74: ‚Nimis pavebam ne peccaret; expedivit' sensu carerent, si Lucris, quod Toxilus non ignoravit, verum nomen esset.

nisi contortam et improbabilem cupias, prorsus desperandum sit. Accedit, quod nomina saepissime a librariis corrupta sunt. Quare paene nulla est fabula, quin nomina, quorum notio impedita sit, contineat.

Quae quum ita sint, Ritschelius, intellegentissimus ille omnium, quae ad poëtas comicos latinos pertinent, Ind. schol. Bonn. 1842 etiamnunc non inutiliter de quorundam nominum vel notatione vel accentu all. quaeri posse existimavit.[1]) Cujus quaestiones onomatologicae comicae, quae tertio opusculorum volumini fore ut inserantur legi,[2]) quum nondum in lucem prodierint, non acta agere mihi videor, si commentatiunculam de nominibus propriis, quae apud Plautum et Terentium exstant, scribere conabor. Cujus libelli magnam partem aliis, qui omnes suo loco nominabuntur, pauca mihi deberi libere profiteor; quae qualia sint, aliorum est judicium. Personas autem allegoricas, ut Arcturum Rudentis, Auxilium Cistellariae, Larem familiarem Aululariae, Luxuriam et Inopiam Trinummi, deinde nomina ex mythologia tracta, ut quae ad rem nostram nihil faciant, praetermisimus; nomina vero terrarum, in quibus fingendis Plauti felicissimum est ingenium, non negleximus. Et ita disputationem omnem distribuimus, ut primum de differentia, quae inter utrumque poëtam in nominum usu intercedat, pauca praemittantur, secundo de nominum illorum originatione, conformatione, flexione agatur, tertio omnium nominum indices subjungantur. Quod ad nominum scriptionem attinet, constat inter omnes poëtas comicos usum litterarum graecarum y, z, aspiratas th, ph, ch, quae Ciceronis aetate usu receptae sunt, geminationem consonantium all. ignorasse, ita ut illae litterae ex omnibus nominibus expellendae essent;[3]) sed novissimorum editorum consuetudinem probavi,[4]) qui, ne lectoribus nauseam facerent, lectiones, quales Pilipus, Epesus, arcitectus all., vitaverunt. Restat ut moneam, si quid in scriptura nominum peccatum sit, si multa, quae his de rebus in lucem emanaverunt, omissa sint, id non deberi meae neglegentiae, sed penuriae librorum, quum bibliotheca hujus gymnasii, etsi quinque jam annos vidit, fere nihil, quo uterer, suppeditaverit plurimaque auxilia mihi meo sumptu coëmenda fuerint.

I.

De differentia, quae in nominum propriorum usu inter Plautum et Terentium intercedat.

Virtutes, quibus ceteroquin Plautus Terentium longe praecedit, etiam in nominum propriorum usu effulgent. Illius ubertatem elegantiam, audaciam leporem, fecundum ingenium admiramur, hujus inventionis copiam desideramus, dispositionis diligentiam laudamus; ille naturae beneficio magis, quam studio ac disciplina est excellens, hic verborum dignitate et oratione facetiis liberaliter condita praestat; Terentius perfectae subtilis verae notationis personarum potissimum gravium, patrum amatorum all., laude atque admiratione indignus non est, jocosas personas nimis constrinxit atque repressit, Plauti vis comica maximam partem posita est in harum personarum, servorum parasitorum, lenonum militum, mendacium avarorum, propria natura et ingenio summa cum varietate describendis.

Quo factum est, ut Terentius usitatissimorum nominum consuetudinem fere nunquam transierit, a Plauto plurima usurpata sint nomina, quibus nemo alius veterum scriptorum, quos quidem noverimus, est usus. Extant autem in Terentii fabulis circiter LXXXI nomina, ex quibus XLVIII, i. e. plus dimidia pars, nomina tritissima sunt, XXV, i. e. minus tertia pars, raro, V: Scirtus, Pasibula, Philotium, Philtera, Nausistrata apud Terentium solum, tria: Archilis, Canthara, Hegio apud Plautum et Terentium solos deprehenduntur. Quid? Plauti ubertas nonne etiam hac parte splendida lucet? Cujus quum in comoediis CCXCVI fere nomina inveniantur, non multo plus LXXIV, i. e. quarta pars, nomina

---

[1]) Pott. l. c. p. 13: „Das Studium der Eigennamen — wird dir vielfach erspriesslichen Lohn bringen; ja selbst als blosse Curiosität genommen, nicht ganz ohne ein oft spasshaftes Interesse sein‘. [2]) Opp. II. p. XXI. [3]) Saepissime optimi libri eam scripturam testantur, cfr. Scafa, Pilolaces etc. [4]) Ritschl. Opp. II. p. 725.

valde usitata sunt; in quo non est neglegendum eum Trin. 916 sq., Asin. V. 2. 15 dedita opera nomina tritissima quatuordecim[1]) usurpavisse;[2]) XXXIV sunt nomina, quae raro, maxime in Inscr., reperiuntur; circiter CLXXVII, i. e. fere quinque octavae, a Plauto solo servata sunt.[3])

Personarum nomina omnia a Graecis accepta esse erant, qui arbitrarentur. Id ita esse, quod ad Terentium attinet, non nego;[4]) ille nomina vere latina neque finxit neque usurpavit; apud Plautum vero inveniuntur talia, quae praestantissimam illam ingenii ejus vim celeritatemque, qua Terentii prudentiae atque moderationi antecedit, aperte demonstrant: Colindrus, Congrio, Curculio, Grumio(?), Lucris, Lucrio(?), Peniculus, Saturio, Sexcentoplagus, Summanus. Adde terrarum nomina, quae hilari joco finxit: Bibesia, Conterebromia, Curculionii, Peredia, Unomammia all. Ceteroquin personis, et quae in scenam prodeunt, et quarum mentio tantum injicitur, nomina Graeca indita sunt. Plautus autem nomina vulgaria etsi minime neglexit[5]), tamen plerumque ejusmodi protulit, quae mere appellativa, quibus certi hominum ordines designantur, accipienda sint et a posteris scriptoribus ita usurpentur.[6]) Personis igitur suis fere semper aptissima eaque, quae jocandi voluptatisque multiplicem facultatem dabant, nomina elegit.[7]) Quamquam factum esse potest, ut illa jam in fabulis, quas in usum suum convertit, inveniret, tamen saepius poëta ille, audacioris ingenii homo, qua erat linguae graecae cognitione, quum ubique soluti ac liberi quid ostendat et suapte ingenii vi utatur, nomina ea, quae, sive originationem sive significationem spectas, indolem ac facultatem vel consuetudinem, mores agendique condicionem personarum aperte significent, nisi quae a Graecis in Italia habitantibus traxit, per se nullius vel adjumento vel auctoritate elegisse atque adeo ipse, id quod de nominibus latinis constat, commentus esse videtur. Id eo magis verisimile est, quum in frgm. com. graec. nomina sane, ut ita dicam, loquentia extent cfr. *Λαμπρίας* adolescens lautus atque beatus, *Λαμία* deformis uxor, *Θρασυλέων Ψευδηρακλῆς, Αἰρησιτείχης* milites; *Κοριαννώ* (‚Mädel‘), *Θάλαττα* meretrices, *Νικοσιράτη* mulier superba imperiosa, *Κνήμων* (‚Knieling‘) agricola, *Σμικρίνης*,[8]) *Γναθωνίδης, Στρουθίας* all., tamen plerumque vulgaria sunt et usu trita. Quod testantur quum nomina Terentiana tum fragmenta ipsa, quorum nomina, etsi collecta habeo, h. l. proferre supersedeo. Quocum ex parte consentit Ritschl. Ind. Bonn. p. 4, qui quin ex eo genere universo illa petiverit poëta, quod Menandri, Philemonis, Diphili ceterorumque comicorum exemplo et auctoritate contineatur, non dubitat, attamen quaedam illum ipsum finxisse vel etiam jlocaliter lusisse, ita tamen, ut recte et rationi convenienter finxerit, concedit.

Terentius autem ita egit, ut personis nomina tribueret, quorum notio appellativa in personam agendam quadraret; sed, quum tardo esset ingenio, partim nomina usitatissima recepit, partim talia, quae propter usum comicum quasi appellativa erant facta. Neque vero nomina illa omnia ex fabulis graecis, quas vertit, ipsis recepit, sed quum fabulas contaminaret et semper personarum paria proferre consuesset, etiam ex aliis traxit; mutuavit etiam a Plauto Bacch. II. 3. 50 nomen Archidemidis (Eun.), ex Truculento nomen Archilidis (Andr. I. 4. 1). Neque raro illis omissis alia substituit itidem Graeca.[9]) Itaque in Eunucho, ubi Menandri fabulas Colacem et Eunuchum contaminavit, personae parasiti, quae illic nomine delicatissimo *Στρουθίας* dicitur, nomen tritissimum Gnathonem indidit, militi Menandri, cui est Biae nomen, Thrasonis nomen imposuit; Davus Menandri vocatur Parmeno, Chaerestratus nomine Phaedriae ornatur, Chrysidi nomen Thaidis datur cfr. Gloss. vett. Pers. Sat. V. 161 Duebner, Meineke Men. p. 67; Chremes autem non respondet *Ἀγροίκῳ*. Deinde Micionem Terentii (Ad.) a Menandro Lampriam vocatum fuisse Meineke l. c. p. 7 evincere studuit. Est etiam, ubi Terentius nomine, quod erat in graeca fabula,

---

1) Ter. Andr. I. 1. 59 tria ejusmodi protulit. 2) cfr. etiam p. 4. 3) Ea omnia in indice siglo ÷ notata sunt. 4) De Sannione cfr. s. v. Storace cfr. s. v. 5) cfr. Bacchis, Stratophanes, Simmia all. 6) Stichus in pandectis, Ballio cfr. Cic. Rosc. com. VII 20, Phil. II. 6. 15, Gelasimus, Philematium all. 7) Harpax, Lycus, Peniculus all. 8) Meineke IV p. 120, 121 etc. 9) Ritschl Rh. Mus. I. p. 48; ubi de Philumena et Pamphila Stichi nondum ad amussim judicatur.

neglecto aliud non usurpaverit cfr. Donatus[1]): ‚Annotandum, quod hujus senis nomen apud Terentium non est; apud Menandrum Simo dicitur‘. Codices testantur nomen ‚Laches‘ V. 5 in titulo, unus Bembinus ‚Demea‘ profert; quare quum nomen in contextu non legatur, veridissimile non videtur esse neutrum nomen Terentianum, sed utrumque a grammaticis profectum esse. — Apud Plautum autem Nicobulum (Bacch.) respondere personae Demeae, quae erat in graeco exemplari, probabiliter demonstravit Ritschl. opp. II. p. 344. Et quum Plautum in Mostellaria Philemonis Phasma imitatum esse dubitem an jure contendatur, poëta meretrici ‘Ῥόδῃ[2]) aliud nomen, fortasse Delphium, substituit. Sed huc non spectat, quod in Stichi fabula nomina personarum a retractatore immutata esse videmus, ita ut Plautinis nominibus, Philumenae, Pamphilae, Pamphili, Pinacii substituerentur Panegyris, Pinacium, Pamphilippus, Dinacium.[3]) Simile aliquid in Casina factum est; etiam de Gymnasio Cistellariae cogitari posset, quum apud Prisc. X p. 898 v. I. 1. 1. sqq. ‚mea antiphila‘ pro ‚mea gymnasium‘ legatur, nisi verborum contextu comparato in ‚antiphila‘ Plautinum ‚antidhac‘ latere appareret.[4])

Communia sunt ambobus poëtis XXVIII nomina, ex quibus frequentia vel etiam frequentissima sunt XX: Antipho (senex ap. Pl., adol. bis ap. Ter.), Bacchis (meretrix, ter Ter.), Chaerea (senex Pl., adol. Terent.), Charinus (adol. bis ap. utr.) Chremes (senex ap. Pl., ter senex Ter., semel adol. Ter.), Chrysis (meretrix), Clinia (senex Pl., bis adol. Ter.), Cratinus (senex bis Ter.), Geta (servus Plaut.?[5]), bis Ter.), Davus (servus, bis Ter.) Dromo (servus, coquus, ter Ter.), Myrrhina (uxor), Pamphila (uxor Pl., meretrix bis Ter., virgo semel Ter.), Pamphilus (adolescens bis Ter.), Philumena (uxor Pl., bis virgo Ter.), Simo (senex bis Pl.), Sosia (servus, bis Ter.), Strato (senex Pl., miles Ter.), Syra (serva bis Pl., lena Ter.), Syrus (servus, bis Ter.), ex quibus Plautus plurima personis suis indidit, quae vocantur tantum vel mutae prodeunt. Rara sunt deinde quinque: Aeschinus (danista Pl., adol. Ter.), Archidemides (senex), Callidemides (senex), Phrygia (fidicina Pl., serva bis Ter.), Demipho (senex ter Pl.); apud eos solos haec tria exstant: Archilis (serva), Canthara (serva, anus, ter Ter.), Hegio (senex, bis Ter.)

Terentium eorundem nominum in diversis fabulis repetitionem non vitasse, a Plauto perraro idem nomen repetitum esse jam ex iis, quae supra demonstravimus, elucet. Inter LXXXI nomina Terentiana iterantur XXV i. e. fere quinque plus quam quarta pars. Quater uno nomine frequentissimo utitur Chremetis; ter vulgaribus nominibus sex: ‚Bacchis, Crito (senex), Dromo, Pamphila, Phania (senex), Parmeno (servus); uno, quod raro alias invenitur: Sostrata (uxor), uno, quod solitarium est: Canthara; bis nomina XIV extant trita: Antipho, Clinia, Charinus, Cratinus, Davos, Geta, Laches (senex), Pamphilus, Phaedria (adolesc.), Philumena, Phrygia, Syrus, Saunio (servus, leno), Sosia, unum nomen rarum: Sophrona (nutrix), unum quod solitarium est: Hegio. — Contra Plautus XIII, i. e. fere vicesimam tertiam partem, plus semel usurpavit. Ter ponuntur duo nomina: Periphanes (senex), quod est nomen singulare, et: Demipho; bis XI: Callicles (senex), Charinus, Charmides (senex), Dinia (senex), Dromo, Lydus (servus), Saturio (parasitus), Simo, Syra, Paegnium (servus, adolesc.), Stichus (servus), nomen solitarium.

Atque ita explicatur apud Terentium ne numeri quidem fabularum ratione neglecta minus nominum reperiri quam apud Plautum idque fit, etsi in fabulis Terentianis semper personarum paria (duo senes, duo adolescentes etc.) extant, quod apud Plautum non fit nisi in Bacchidibus, deinde etsi Terentius pedissequis all. exceptis non solum personis actorum, verum etiam κωφοῖς προσώποις nomina sua fecit — etenim fidicinae illi, amicae Ctesiphontis, suum nomen restituit Bacchidi cod. A Ad. II. 1; nutrici Antiphilae Heaut. IV. 1. idem liber nomen Cantharae servavit; unum exemplum personae nominis expertis est Eun. V. 5.[6]) — contra apud Plautum non modo advorsitores all. nominibus non induti paene in omnibus fabulis prodeunt, sed etiam actoribus ipsis desunt nomina: Asin. mercatori, parasito; Capt. servo Hegionis; Curc. coquo Phaedromi, chorago; Cas. coquo

[1]) Eun. V. 6. 1. [2]) Mein. Frg. IV p. 29. [3]) De Epignomo cfr. s. v. [4]) Ritschl. opp. II p. 484. [5]) De illo Geta, quem Plautus Cyamum vocavit cfr. s. v. [6]) cfr. paulo supra.

duabusque servis; Cist. lenae; Epid. militi, fidicinae, danistae, servo; Bacch. parasito, servo; Most. duobus servis; Men. ex XI quinque personae nomine carent: uxor, senex, medicus; serva, lorarii; Mil. servus Peripl., lorarii; Merc. servus, coquus; Pseud. servus, coquus, lorarii; Poen. advocati[1]), serva, servus; Rud. piscator; Trin. sycophanta; Truc. serva.[2])

Ambitum nominum respicientes Terentium potissimum brevia nomina paucaque composita adhibuisse videmus, quum ex LXXXI composita sint XVI, Plautum vero longiora adamasse et ex CCXCVI usurpasse CXV composita, inter quae nonnulla talia sunt, ut Aristophanis aemulum agnoscas; quae quum ex indicibus facile colligi possint, h. l. ea tantum commemorem, quae memoria dignissima sint: *Βομβο-μαχίδης, Ἀντ-αμυνίδης, Ἐξαίρ-αμβος, Θεραποντί-γονος, Κερκό-νικος, Λημνο-σεληνίς, Μισ-αργυρίδης, Πλαιαγί-δωρος, Πολτο-φαγωνίδης, Φιλο-κωμάσιον, Πυργο-πολυνίκης, Πολυ-μαχαιροπλαγίδης, Θησαυροχρυσο-νικοχρυσίδης, Κλυτομηστωρι-δυσαρχίδης.*

Explicatur porro diverso utriusque poëtae ingenio servorum nomina a locis vel gentibus ducta Terentium adamasse, Plautum raro admisisse. Atque etiam militum, lenonum, parasitorum all. nominibus comparatis Terentii jejunitatem ariditatemque, acumen ingenii celeritatemque Plauti et in facetius significatis et in obscenissime dictis praeclare lucere videmus. Terentius si militem gloriosum vocare vult, nomina etsi ad militiam accommodata, tamen vulgaria in promptu habet Stratonem, Thrasonem. Quorum Thraso (‚Keck'), quod nomen a confidentia factum militi illi stolido et arroganti, quum sit timidus magnusque nebulo[3]), ironice inditum est quodque in comoedia nova de milite glorioso[4]) frequentatur, etiam magis placet, quam Strato[5]). Neque militum illorum stolidorum atque ineptorum, qui mulierum cupidi in comoedia nova irridentur et contemnuntur[6]), nomina festivius sunt inventa. At Plautus etiam verbis alte sonantibus militum vanitatem pavidam illustrat; sunt sane etiam apud eum milites Cleomachus (Wippert), Stratonicus (Siegert), Stratophanes[7]) (Herbart); ceteris tamen quae nominum dignitas sonora inest! [8]) Nec praetermittendum ‚Harpax' (Gierig), caculae nomen.[9]) — Lenones a Terentio Sannio, Dorio, Syra vocantur; quam pulchre illorum mores Plautinis nominibus[10]) depinguntur! Denique Terentianis nominibus parasitorum jocosissimis ‚Gnatho', ‚Phormio' omnia Plautina vel majore leporis elegantia ornata opponi[11]) possunt. Plautus enim, ut servis condicione proximi sunt parasiti, ita in eorum quoque moribus lepide ubique et copiose exprimendis urbanam suam rusticitatem ingenii varietate amoenitateque temperavit. Postremum nonne etiam meretrices, quibus semper in comoedia nova et in palliata nomina significantia sunt, a Terentio nominibus multo jejunioribus magisque tritis ornatae sunt quam a Plauto? etenim plurima ex illis, etsi notione apta non carent et genus meritricum optime illustrant, esse pervulgata apparet.

II.

De nominum propriorum originatione, conformatione, flexione.

Quam commentationis partem ita disposuimus, ut primum de nominibus personarum liberalis condicionis agamus, deinde improborum hominum nomina explicemus; transitus a priore ad alteram partem paratur militum parasitorum all. id genus nominibus.

Cap. I.

Huc pertinent nomina uxorum, virginum, senum, adolescentium. Quae qualia omnia esse debeant, supra[12]) commemoravimus.

§ 1. Uxores:

Ampsigura. Poen. V. 2. 105 AC Amsigura, BD Ampsigura; ibid. 108. CD Ampsigura,

---

[1]) cfr. Ter. Phormio in ind. I. [2]) At Asin. II. 4, quum a Leonida viros certis nominibus praeditos nominari necesse sit, quo facilius mercator decipiatur, Fleckeisenus jure v. 26 (432) pro lectione vulg. ‚ecquis' certum nomen protulit: Coriscus, *Κορίσκος (κόρος, κορέννυμι)*. [3]) Eun. IV. 7. 11 sqq., 15 sq. [4]) Bramarbas. [5]) ap. Plaut. est nomen senis. [6]) Meineke IV 280 n. 2. [7]) Is Mars sibi videtur Truc. II. 6. 34 ‚Mars peregre adveniens salutat Nerienem uxorem suam'. [8]) cfr. infr. mill. nom. [9]) cfr. p. 4. [10]) cfr. infr. len. nom. [11]) cfr. infr. parass. nom. [12]) cfr. p. 4.

B Ampsagura. Nomen non expedio; dubito an graecum non sit, quamquam, si Ampsagura vera lectio sit, de *Ἀμψάγας*, Numidiae flumine, cogitare licet.

Artemona. Ut *ἡγεμόνη* femininum est vocis *ἡγεμών, όνος*, ita *Ἀρτεμώνη* nominis *Ἀρτέμων, ωνος*, de quo cfr. Bensel.

Cleobula cfr. Cleobulus, Cleobulina. — Cleostrata cfr. Cleostratus.

Daedalis; femin. nominis *Δαιδαλεύς* cfr. Daedalus, Daedala; Camerarius: ‚*ἀπὸ τοῦ Δαιδάλου*, forma patronymica‘.

Dorippa. Quum de prosodia primae syllabae dubitari possit, Merc. IV. 1. 17 ‚Dorippa, mea Dorippa! — Quid clamas, obsecro?‘ ubi sine causa quidam ediderunt ‚Dorripa‘, utrum Plautus, id quod Benselerus voluit, *Δορίππη*, cfr. Schol. Apoll. Rh. I. 118, an *Δωρ-ίππη* praetulerit, non liquet.

Eunomia; *Εὔνομος,-ιος,-ία*. Idem nomen est uni ex Horis.

Myrrhina; *Μυρρίνη* vel *Μυρίνη*, quod idem est, etsi magis meretrices decet, tamen ne matronis quidem indignum est cfr. *Μυρρινίδιον* Arist. Lys. 872; cdd. Ter. Hec. saepe ‚Myrrina‘, plerumque tamen Ac. rell. ‚Myrrhina‘ testantur.

Pamphila. Pinacium verum hujus uxoris nomen non esse luce clarius Ritschl. praef. Stich. p. XI demonstravit. Primum enim id est uxore indignissimum; deinde quum dubitari nequeat, quin servo non Dinacio, sed Pinacio fuerit nomen,[1]) fieri non potest, ut mulieri honestissimae ejusdem fabulae idem nomen ac puero fuerit; postremum cod. A I. 1. Pamphilae nomen tuetur, quod in relqq. libb. ubique nomini Pinacio cessit (I. 1, I. 1. 6, I. 2 etc.). Nomen illud autem prosodiacam mensuram hujus pari ratione aequat atque quae intei Panegyridis et

Philumenae nomina intercedit. Nam quod nomen usque ad Ritschelium edd. protulerunt ‚Panegyris‘, meretrici, non matronae aptum, falsam lectionem esse manifestum est. Subversa ea est cod. A auctoritate, qui, etsi Stich. II. 2; 2. 7; 1. 92 c. relqq. Panegyrim servat, tamen I. 1. Philumenam praestat; a quo testimonio profectus Ritschl. l. c. ubique Philumenam restituit. In quibus nominibus *διασκευάσεως* occasione extrusis reducendis posteri editores Ritschelium sunt secuti cfr. Fleckeis. Plaut. p. 233.

Peristrata. Quum Merc. IV. 5. 15 ‚Quid? Peristratam hic Demiphonis contuor‘ et sqq. Plautinos versus non esse Ritschelius evicerit, uxor Demiphonis non commemoratur nisi 1003 idque sine nomine proprio.

Phanostrata — Philippa — Sostrata cfr. *Σώ-στρατος* — Ptolemocratia cfr. *Πολεμοκράτης, Πολεμοκρατία*; de brevitate penultimae cfr. Lachm. Lucr. III. 374. p. 159.

Teuximarcha. Men. V. 9. 71. BC teuxinarce, D teuximarce, F theusinarae, Z theusimarce, unde, quum e et ae saepissime a librariis permutentur, jure repetita est scriptura Teuximarchae. Quod nomen Plautus ipse, etsi male, finxit ex *τεύξιμος* et *ἄρχειν* cfr. Epiteuxis; cfr. *Ἀλκησίμ-αρχος, Καλλίμ-αρχος* all.

Terentianae: Myrrhina, Sostrata.

Nausistrata. Muretus: ‚magnificum nomen a copiis navalibus, quarum gloria populus Atheniensis aliquando floruit‘. Phorm. V. 2. 18 Bentlejus edidit ‚Naustratam neque‘. Sed etsi recte monuit Naustratam esse eandem atque Nausistratam, quum saepe prior compositorum pars plures formas ostendat, tamen non assentior dicenti: ‚Brevius dicebant, qui familiarius‘ neque exempla, velut Philotis Philotium, Lampadiscus Lampadio huc faciunt, sed et a *Ναυ* — et a *Ναυσι* — descendunt nomina, quorum pars altera est eadem cfr. Fick p. 60; et quum omnes libri ‚Phormionem, aut‘ exhibeant neque id explicatione indigeat, illa correctura omnino improbanda est.

Philtera meretrix an matrona sit, dignosci non potest, quum nominis notio apud Terentium nihil discernat; cfr. *Φιλωτέρα* all.

§ 2. Virgines:

Lucris. Ut patri Saturioni, ita filiae nomen latinum est suffixo graeco ornatum; quae

[1]) p. 32 et p. 10.

quum faciat, ut Toxilus et pater lucrentur, Lucridis nomen jocose a latina stirpe ‚lucrum' fictum est.[1])

Phaedra.[2]) Erant, qui in Aulularia Phaedria ederent; quod quum nomen virile sit, in virgine mirum esset.[3])

Telestis. a τελεσι — cfr. Τελέστης; Epid. IV. 1. 41, quum Periphanes nomen filiae suae novisset, falso legebatur Acropolistis; Camerarius recte: ‚Telestidem' vel ‚Acrotelestidem'.

Soteris cfr. Bensel. s. v.

Terentianae:

Antiphila. Quod nomen meretrice dignissimum (ἀντί = für Entgelt) a Philtera, quae ingenuam adoptavit, quaestus causa virgini, Chremetis filiae, inditum est.

Pasibula. A Chryside postea virgo nomen Glycerium accepit. Nomen Pasibulae Andr. V. 4. 42 testantur ABCDEGPV, ita ut versus claudicans non cum Fleckeiseno nomine in ‚Pasiphila' mutato, sed aliter cfr. Umpfenbach. v. c. sanandus sit.

Pamphila[4]) — Philumena.[5])

Phanium. Ejusmodi nomen, quod meretrici debetur, virgini indidit Terentius, quod viam meretriciam jam ingressa est; a Φανός.[6]) Praeceptum, quo nomina trisyllaba in ιον dactylum efficientia paroxytona, reliqua omnia proparoxytona sint, si sequemur, probabimus Φανίον;[7]) Ritschelius autem auctore Athenaeo recepit Φάνιον,[8]) quod est neutrum vocis Φάνιος, non deminutivum.

§ 3. Senes:

Alcesimus; ab ἀλκέω ἀλκησ — cfr. γελάσιμος, στάσιμος, κάλλιμος etc., ita ut nomen proprie sit adjectivum. Cujusmodi nominum, quae ex appellativis inde orta sunt, quod homines, quibus sunt, comparantur cum aliis rebus hisque similes cognoscuntur, ita ut nomina e communi significatione in personae certae proprietatem transeant, magnus numerus apud Plautum occurrit. Alia enim nomina ex adjectivis facta sunt: Cacistus, Chrestus (?), Pseudolus, Epidicus, Gelasimus, Glaucus, Glycera, Harpax, Labrax, Lysiteles, Periphanes, Phaedra, Pistus (?), Sparax, Stasimus, Strabax, Strobilus, apud Terentium: Phaedrus, Philtera, Phanium (?), Simus. Neque desunt participia ita usurpata[9]): Periplecomenus, Philumena,[10]) Syncerastus, apud Terentium: Parmeno. Deinde substantiva: Acroteleutium, Acropolistis, Acanthio (‚Igel'), Ampelisca, Anthrax, Astaphium, Canthara,[10]) Chalinus, Colaphus, Crinus, Curculio, Cyamus, Corax, Corydalus, Crocotium, Collabus, Cylindrus, Erotium, Eunomia, Gripus, Gymnasium, Leaena, Libanus, Lycus,[11]) Moschus, Myrrhina,[10]) Paegnium, Palaestra, Panegyris (?), Pardalisca, Peniculus, Philematium, Phoenicium (dulcis ut dactylus), Pinacium, Pithecium, Scapha, Selenium, Stalagmus, Staphyla, Stephanium, Stichus, Trochus;[12]) et apud Terentium: Dromo, Donax (gracilis ut arundo), Discus (?), Sophrona, Storax. Illa nomina graece ab appellativis saepissime distinguuntur accentu mutato[13]), ita ut nomina ex appellativis aut adjectivis ultimam acutam habentibus facta graventur Περιφάνης, περιφανής, Γλυκέρα γλυκερά, Φαῖδρος φαιδρός, Λυσιτέλης λυσιτελής, Χάλινος χαλινός,[14]) Steph. Byz. p. 138 Θετταλὴ βαρύνεται παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς εἰς ἰδιότητα τεθέν cfr. Gell. N. A. XVII. 3, all.; alia gravata acuantur Περιπλεκομενός περιπλεκόμενος. Erant qui hanc rem omnem unice grammaticorum ingeniis deberi nec ab ipsis veteribus institutam esse contenderent, quum illud praeceptum non constanter observatum sit; Fickius autem p. XVIII. eam explicare conatus est.

Antidamas. Poen. V. 2. 85 lect. vulg. ‚Antidamarchi', dubiam jam propter correptam antepenultimam, quam Lambinus, Gronovius, Gruterus all. retinuerunt, quum V. 1. 22; 2. 91, 98 Antidama, 2. 82 Antidamai, 87 Antidamae legantur, vitiosam esse jam Sal-

[1]) cfr. p. 4; 6. [2]) cfr. infr. [3]) Donat. Andr.: ‚Adnotandum sane puellarum liberalium nullam orationem induci in comoedia palliata praeter invocationem Junonis Lucinae, quae et ipsa quoque post scenam fieri solet'. [4]) cfr. p. 9. [5]) cfr. infr. [6]) p. 16. [7]) Buttm. II. p. 440 sqq. [8]) Butt. l. c. p. 441. [9]) cfr. Fick p. LIII, p. LV. [10]) etiam ap. Ter. [11]) de hujus nominis triplici notione cfr. Fick p. VI; huc prima ex illis referenda est, qua leno lupo comparatur cfr. p. 4. [12]) Nominum significationem vide in indice. [13]) Goettling. Accentl. p. 9, Lobeck. paral. p. 342, Kühn. I. p. 256, Keil onom. § 39. [14]) Etym. Mgn. 805, 16, Arcad. 65. 18, Eustat. Il. e. p. 520.

masius et Lipsius contenderunt proposita lectione Antidamae Demarchi coll. v. 100, ut Agorastocles filius Antidamae, Demarchi filii, dicatur; aliud ejusmodi exemplum non exstat. Alii aliter corrigere ausi sunt; ex quibus commemorasse sufficiat Acidalium ‚tu Antidamae hic quaeris' et Ritschelium olim perperam ‚Antidamatae' coll. nomine ‚Callidamates', nunc recte ‚Antidamai' legentem.[1]) ‚Antidamarchus' comparandum esset cum ‚Anti-demus' et ‚Demarchus'. Rostius, quum in versione ‚Antidamas' servet, Opp. p. 307 sine dubio calami vitio ‚Archidamantem' commemorat.

Antimachus — Antipho — Archidemus — Archidemides.

Apoecides cfr. Ἄπ-οικος. De andronymicis, quae proprie sunt patronymica cfr. Prisc. II p. 54 ‚Inveniuntur quaedam nomina forma patronymicorum, significatione denominativa' et ‚Sunt autem alia, quae cum sint patronymica, in aliis accipiuntur propria'. Quod jam fecerunt Graeci. Etenim si quis non proprio suo nomine, sed patronymico, ut potiore, appellabatur, paulatim nomen ex patronymico factum est andronymicum, quod etiam aliis tribuebatur. Inde effectum est, ut suffixum δης fieret suffixum nomm. propr.[2]) et idem homo primitivo et patronymico designaretur cfr. Κάλλιππος τρέχει et Callippides currit.[3]) Quare non raro terminatio ιδης usurpata est, ut voci nota nominis proprii imponeretur. Atque ut comici graeci saepe ejusmodi formationibus utebantur,[4]) ita Plautus jocose suffixum δης adhibebat multasque stirpes latinas eo exitu instruxit cfr. Most. 343, Capt. 472, Men. 210, Trin. 1022, idque eum fecisse ex imitatione Aeolum, qui fere epitheta patronymice formassent, Scaliger voluit. Praeterea Plautus XVII nomina propria inde finxit, Terentius ter illo suffixo usus est.[5]) Quam adamaverit Plautus nomina hoc suffixo terminata, maxime testantur nomina illa Pers. 702 more et lepore Aristophanico tamquam Persica conficta; quae omnia, non, ut multi cfr. Corssen all. putaverunt, partim graeca partim latina, sed tota latina sunt graeco suffixo finita. Primum eorum, ut nomen proprium, sonat Vaniloquidorus(?) ‚Windbeuteleiengeber', reliqua, ut cognomina, in ιδης exeunt: Virginisvendonides ‚Jungfrauenhändlers', pro quo codd. lectione spreta Virginesv. proferri opus non est. Tertium nomen dubium est: A Nugipiloquides et similiter BCDFZ; quae lectio et metro repugnat et, si cum Lambino, Boxhornio in Nugipililoquides mutatur, sensu necessario caret. Gulielmi Nugidololoq. et Bothii Nugipalamloq., quod Ritschelius, etsi Plautinum non esse sensit, in textum recepit, nimis a codd. vestigiis recedunt. Haec maxime premunt et sensui convenientissimae sunt lectiones Pyladis Nugipololoq., magis etiam Camerarii, quam probavit Corssenus all., Nugipolyloq. ‚Viellügenredners'. Sed hybrida est. Quartum servavit A Argentumexterebronides ‚Silbergeldausbohrerssohn' cfr. exterebrare Pers. II. 2. 55., pro quo non est necessarium Pyladis Argentiext; rell. codd. perperam alteram partem ‚extenebronides', i. e. ‚qui ex tenebris eruit', praebent. Quintum quum codd. Tedigniloquides ‚Deinwürdigredner' praestent, Palmerii, ‚Tetechnilocrides' et Lipsii ‚Techniloquides' lectiones et origine falsae et supervacaneae sunt; sextum, quod B Nundes., CDZ Numdesexp., Corssenus[6]) cum edd. vett. Nummorumexp. scribunt, est Nummosexpalponides ‚Kreuzerausbugsirerssohn'. Septimum et codd. et edd. constanter Quodsemelarripides ‚Waseinmalergreiferssohn' exhibent; octavum in onides desinere versus praecedentes evincunt. Quare pro codd. BCDF lectione corrupta ‚Numquameripi., quam certatim mutaverunt in Numquamposteaeripides Pylades, Camerarius, Corssenus, in Numquameripides postea Bothius, all. all., Guyetus veram formam proposuit Nunquampostreddonides ‚Niemalswiedergebensohn'.

Callia. Trin. 916. BC Callicias, DF Callitias, unde lect. vulg. Callicias. Quae formae quum graecum nomen non praebeant, Guyeto praeeunte Ritschelius, Fleckeisenus, Brixius dederunt ‚Callias', melius ‚Callia'; non recte Camerarius ‚Callicles' proposuit, quum id

---

1) cfr. infr. 2) Pape Bens. p. XXXII, Fick. p. XLVI sqq. 3) Cic. Att. XIII, 12, Suet. Tib. 38. 4) Lobeck Agam. 880. 5) Archidemides, Antamynides, Apoecides, Bombomachides, Callidemides, Charmides, Clytomestoridysarchides, Lyconides, Leonida, Megaronides, Misargyrides, Philonides, Polymachaeroplagides, Poltophagonides, Theopropides, Timarchides, Thesaurochrysonicocroesides — Archid., Callid., Archonides. 6) Auspr. etc. II p. 816.

nomen sit amici Charmidis, nec placent aliorum commenta ,Calliades' ,Callidamas'. ,Callistia', quod ad codd. lectionem proxime accedit, si nomen usu tritum esset, praeferrem.

Callicles — Callidemides — Callinicus — Callipho — Callippus.

Callimarchus. Trin. IV. 2. 72 (917) codd. B Callimarcus, C Calimarchus, D Calimarcltus, FZ Callimarchus. Quae forma codd. optime firmata et ab edd. vett. recepta, quum propter insolitum ,m' falsa videretur, ,Calliarchus' ,Schönherr' a Meiero invectus est. Sed unde et cur librarii ,m' receperunt? Bergkius ,Callimorphus Schönbein' olim proposuit, quod longius a codd. vestigiis discrepat. Guyetus suasit, ut Callimachus scriberetur, idque Ritschelius, Fleckeisenus, Brixius receperunt; nomen placeret, quum, sicut reliqua quae proferuntur nomina, pervulgatum sit, nisi, quomodo librarii a frequentissimo nomine constanter ad solitarium ,Callimarchus' aberraverint, explicari nequiret neque numeris versus forma illius nominis turbatis correctura ,Callimachusne' (Guyet.) vel ,An Callimachus' (Ritschl.) opus esset, qua verborum concinnitas particula interrogandi ceteris nominibus non adjuncta deletur. Quare rejectum Callimarchi nomen restituerunt Bergk. Beitraeg. p. 120, Ritschl. Trin. II, ubi se huic formae Opp. III. dissert. 3 fidem facturum esse promittit, Brix Trin. II. Sed quam Bergkius dedit literae ,m' explicationem, ,nonnunquam eam literam, sicut consonantem ,n' coll. Minonis etc., hiatus vitandi causa illatam esse eamque non a Plauto primo receptam, quum ipse ,Diniarchus', non ,Dinimarchus' formaverit, sed e pronuntiatione vulgari Magnae Graeciae et Siciliae acceptam', quamquam poëta revera multa inde sumpsit, probare non possum, praesertim quum, cur ,m' potissimum usurpata sit consonans, non intellegam. Itaque licet aliud hujus formationis exemplum mihi non innotuerit — Callimandrus vel ad *μάνδρα* Huerde[1]) vel ad *μανδρο* —, ex *Μαίανδρος* decurtatum, referendum est; in compositis autem, quorum pars altera *βρότος* est, ,m' radici adhaeret, Acesimbrotus, Aristombrotus etc., ita ut Callibrotus lectio falsa sit; Callimanus cfr. Callianús fortasse ne graecum quidem nomen est. — tamen Ritschelium, Benselerum, Fickium all. sequor, qui Callimarchum ex *Κάλλιμος* et *ἄρχειν* compositum esse volunt; similia sunt *Ἀλκησίμ-αρχος, Τευξιμ-άρχη*.

Chares — Charidemus? — Charmides a *χαρμο-, χάρμη* pugna, pugnandi cupiditas.

Charicles? Trin. IV. 2. 77 (922) quum codd. nomen Charmidis iterent, Ritschelius invexit ,Charicles', alii ,Charidemus', Bergkius ,Charinus', rectius Bothius ,Charmadas'. Verum invenit Ribbek Rh. Mus. 1872 p. 179 ,an Chares? an Charmides? — Enim Charmides'.

Chaerestratus — Chrestus? —

Chremes; a *χρέμω χρέμπτεσθαι* screare, enixe exspuere, Aechzer, Krächzer. Itaque senum morosorum nomen aptissimum inque comoedia nova usitatum cfr. *Χρεμύλος*. Quam tristis et morosi senis personam sustinet etiam Phidylus; quare Glycera Bacchidi Alecphr. Epp. I. 29 scribit: *δεήσει με ἐπὶ τῆς σκήνης ὑπὸ Χρέμητός τινος ἢ Φειδύλου πικρῶς λοιδορεῖσθαι.* Apud Plautum Chremes quidam inter alios senes in Asinaria nominatur, a Terentio id nomen ter personae primariae inditum est atque etiam ita notatur in Eunucho adolescens ruri educatus eoque civilium blanditiarum insolens et artium imperitus.

Clinia — Cratinus —

Daemones *Δαιμονεύς*; Benselerus praeferre videtur *Δαϊμένης*.

Demaenetus — Demosthenes — Demarchus.

Demipho. Cui nomini quum graece respondeat, *Δημοφόων*, — *φῶν*, composita graeca, quorum pars prior ,o' terminatur, si a veteribus Romanis latine vertebantur, latinorum nominum, quorum prior pars est stirps in ,o' exiens, analogiam secuta pro graeco ,o' recepisse videntur finalem ,i' cfr. Patricoles, thermipolium, tragicomoedia, Lemniselenis, Pultiphagonides, Clitipho.[2]) Ex latino ,Demipho' deinde factum est graecum *Δημιφῶν* ap. Hygin astr. II. 40 cfr. Diony-sidorus Dionyso-dorus, Dionysi-cles Dionyso-cles, Choribates, Artemi-dorus Artemo-clea, Dionysi-genes, Calo-tychus Cali-tychus, Calo-pus Cali-pus all. De Callidorus cfr. p. 16.

---

[1]) Ita Fick p. 53, 125. [2]) Fleckeis. Rh. Mus. VIII. 221, 228; Corssen II 76, 319. Keil anal. epigr. et onom. p. 169.

Diapontius. Nomen a poëta jocose fictum ab ipso explicatur, ‚transmarinus hospes‘ i. e. *διὰ πόντον*.

Dinia — Glaucus — Hanno — Hegea, — Hegio —

Euclio. Haec non est, ut putant, latina forma graeci nominis *Εὐκλείων, Εὐκλέων*, sed derivatur *Εὐκλ-ίων* ab *Εὖκλος*, ut *Λουρκίων* a *Λοῦρκος* all. all.

Hermio —

Jacho. Lect. vulg. Jachon nititur codd. CD Poen. V. 2. 105, C ib. 112. Jacho, si nomen graecum est, ab *ἴαχος* ‚Schrei‘ descendit, ut Gnatho a *γνάθος* all. Studemundus autem N. J. 1876 p. 71 auctoribus libris V. 2. 105 B ihon, A hiaon, 2. 112 B iahonis, D iahonis‘ commendat Jahon (lege: Jaho). Jao nominatur aliquis Nonn. 32, 234, ut ‚ι‘ latine consonans esset. Sed omnia incerta sunt.

Lysidamus. Edd. vett. Stalinonem vel Staleaonem senis nomen esse voluerunt; quod, quum personae nobiles semper a Plauto decoris et claris nominibus ornatae sint, stare nequit. Deinde etiam originatio dubia est; Benselerus voluit nomen deduci a dorica forma *στάλα* (*στήλη*), ut esset ‚Seulle‘. Sed de veriloquio obscuro quaeri nunc est supervacaneum; neque enim est, cur dubites, quin recte Ritschelius[1]) et Studemundus[2]), nixi Ambrosiano libro, nomine illo nihili et barbaro ejecto Lysidamum dederint. Stalinonis autem nomen, quod semel Cas. V. 3. 16 in verborum contextu legitur, unde ortum sit, enucleaverunt[3]); l. c. enim codd. testantur ‚Heus stalicio (stalitio) amator‘ pro eo, quod esse debuit: ‚Heus sta ilico Amator‘.

Lysimachus — Megadorus — Moschus cfr. Philomoschus —

Megalobulus; ita Bacch. II. 3. 74 edd. vett.; quod in versum non convenit; Lambinus conjecit ‚Megabyzi‘, Fleckeisenus cum Meursio ‚Megalobusus‘; fortasse ‚Megabulus‘.

Naucrates — Nicobulus — Pelago a *πέλαγος* — Periphanes[4]) —

Megaronides, a *μέγαρον; Μεγάρων;* senex antiquos mores conservavit.

Menarchus. Prima syllaba quum anceps sit et medico melius significatio conveniat, nomen cum Benselero non ad *Μέν-αρχος*, sed ad *Μήν-αρχος* retulerim; itaque a *μήν μήνη* Luna cfr. *Μην-αγόρος* all.

Periplecomenus. Nomen hujus senis lepidissimi perperam legebatur Periplectomenes, dum Ritschelius sagacissime verum invenit. Mire Fick p. 69 falsam formam etiamnunc tuetur. Primum enim nomen, quum participiis terminatio ‚ης‘ esse non soleat, ratione caret; deinde si cum codd.; qui in quinque scenarum titulis et III. 2. 56 suffixum ‚us‘ testantur, ‚*Περιπλεκτόμενος*‘ usurpaverimus, ea nihili forma sit — *πλέκτω* non graecum verbum est —. Itaque a Mil. II. 2. 15 CD ‚periepletomene‘ profectus Ritschelius olim *Περιπληττόμενος* ‚is qui circumtruditur‘ proposuit; quae notio personae senis minus congrueret. Contra *Περιπλεκόμενος* mirum quantum liberalem, mitem, humanam indolem amabilissimi senis notat; descendit a *περιπλέκω* et eum, qui ultro fallacias machinasque Palaestrionis adjuvat, duos amantes juvat, adhortatur i. e. amplexatur, depingit. Sed quod constanter vocativus in ‚e‘ exit, id ad nominativum in ‚us‘ pertinere necesse non est.[5])

Philonides — Philoxenus — Pyrgoteles. —

Philto. a *φιλτός*, quod est adj. verb. stirpis *φιλ-*(*φῖλω*) cfr. *Φίλτη* all.

Pultiphagonides. Ita Poen. prol. 54 Hanno vocatur, ut Benselerum *Πολτοφαγωνίδην* h. l. parasiti nomen comicum esse contendere miremur. Nomen Pultiphagonidis i. e. Poeni ‚Onkel Fressmusssohn‘ conferendum est cum ‚pultiphagus‘ Most. III. 2. 143, ubi As ‚pultufagis‘ i. e. *πολτοφάγοις*. Et sicut Most. l. c. vel lectio ‚pultufagus‘ teneri[6]) vel poltofagus[7]) scribi potest, ita etiam in Poenulo Poltofagonides esset exarandum, nisi nomen prologo deberetur. Nomen autem non hybridam, sed ut *κριθοφάγος* all. ex *πόλτος* et *φαγεῖν* compositum esse Rostius[8]) optime demonstravit. Nam etsi dubium non est,

[1]) Opp. II. p. 381. [2]) Ind. Gryphisw. 1871—72 p. 6. [3]) N. J. 1871 p. 639 sqq. [4]) p. 10. [5]) cfr. cap. V. § 5. [6]) Corss. I. p. 336 sq. [7]) cfr. Unomammia. [8]) Opp. p. 248. Lorenz. Mostell. p. 255 ‚ohne Beispiele aus griechischen Verfassern für *πόλτος* zu kennen‘ Rostii verba accurate legisse non videtur, quum Rost. Ath. XIV c. 58, ubi poëtarum fragmenta a Lorenzio prolata extant, ipse citaverit.

quin Mostellariae versus totus Plauto debeatur, tamen neque Corssenio[1]) neque Lorenzio assentior, qui[2]) graecam alterius partis originationem a Plauto felicissime usurpatam esse contendunt. Merito enim Rostius, licet vocabuli πολτοφάγος vestigium nullum in graeco scriptore supersit, tamen nihil esse sit, quod impediat, quominus Graecos Plauti aetate, qua illi cum Romanis majora vitae commercia habere coeperunt, Romanorum victum quotidianum miratos πολτοφάγους eos vocitavisse et Plautum de industria, ut solet, populares suos -- eos enim Most. l. c. significari, non Poenos, quod Scaliger et Salmasius voluerunt, nunc inter omnes constat — eo nomine notavisse arbitremur.

Pyrocles. Nomen Fickius a πυρ — ,ignis' derivavit; quod, quum prima Pyroclis producta sit, nomina a πυρ — deducta brevem syllabam ostendant, fieri nequit; nomen descendit a πῦρο — ,Waizen'.

Simo. Nomen senum comicorum pervulgatum est vid. Bensel.

Strato —

Theodoromedes. Ex genere Polyplusio Capt. II. 2. 27, V. 2. 20. orto nomen ei inditur jocosissime fictum:

Thesaurochrysonicocroesides, quod statim memoriam militis illius[3]) redintegrat. Lusit enim poëta more veteris comoediae in hac mirifica nominis compositione. Sed lectio dubia est. Codd. scripturam ignoro. Nomini significatio esse debet, qualem suadet II. 2. 36 ,Videlicet propter divitias inditum id nomen quasist'; nam v. 37 ,Immo edepol propter avaritiam ipsius atque tenaciam' ad veram nominis formam restituendam conferri nequit. Quod fecit Heraldius proponens ,Thesaurochrysonychochrysides aut potius Θησαυροκρυψονυχοχρυσίδης'; avari enim esse κρύπτειν τοὺς θησαυρούς; itaque vir esset quasi qui ungulis iisque tantum non omnibus i. e. omnibus viribus ac nervis auri sui thesaurum abscondat. Sed ea ὀνύχων commemoratio inepta est. Quare voluit Lessingius Thesaurocrypsonicochrysides. Cui nomini idoneam significationem ut conciliarem, mihi non contigit. Quare magis placeret lect. vulg. Thesaurochrysonicochrysides, in qua esset thesauri, auri, victoriae significatio, nisi repetitio τοῦ χρυσοῦ in nomine ficto improbanda esset. Itaque recipiendum est aut Brixii inventum Thensaurocroesonicochrysides ,Kroesus' Schatzkammernüberbietender Goldmann' aut Lindemanni Bothiique lectio Thensaurochrysonicocroesides, qua nomen patronymicum terminatione-croesides magis apparet ,Goldschatzkammernüberbietender Croesussohn'.

Theopropides a Θεό-προπος (πρέπω) cfr. Εὔπροπος, Pott l. c. p. 236. Nomen per ironiam illi vere ,comico stulto seni' inditum est, ut qui nequaquam θεόπροπος, ,futurarum rerum providus', a nebulone doloso jocosissime ludatur. Θεοπροπίδαι erant gens Eretriensis D. L. 2. 17. 1, Θευπροπίδης C. J. G. 2. 3140; Θεόπροπος cfr. Bensel. s. v. Codd. CD semper: Theuropides, B quater (447, 805, 970, 1158) idem, B novies inscr. II. 2, III. 1, 783, III. 3, 933 IV. 1; 3; V 1; 2. idem, A bis inscr. III. 2; 1064 idem. Unde profecti editores usque ad novissima tempora excudi jusserunt Theuropides Θευρωπίδης, ita ut εω in ευ contractum cfr. Λεωτυχίδης Λευτυχίδης Curt. Etym. I p. 95 et 329, nomen igitur esset Θεωρωπίδης vid. Lachm. Lucr. p. 313. Sed haec nominis forma quum multis de causis dubia esset, Bergkius[4]) eam quam supra dedimus proposuit. Quam quum Ritschelius, qui praef. Merc. p. 16 ea propter metrorum necessitatem rejecta in tralaticio nomine acquieverat, postea[5]) ipse probavisset, Lorenzius primus in contextum recepit. Commendatur illa non minus sensu et originationis perspicuitate et usu Graecorum, quam codd. ipsorum vestigiis A 962 Teoropides, 784, 903 Theoropides; B 784, 962 Theupropides, III. 2. Theutropides, Db. III. 1. Teutropides, ita ut unius versus 784 verba, quae 'hoc nomen non admittunt,[6]) cum Ritschelio emendanda sint: ,Heus Théopropides. Hém, ecquis híc nominát me?' Nam quod propius ad codd. scripturam accedit, Theupropides, a Bergkio dubitanter allatum, propter productam antepenultimam ferri nequit.

[1]) II. 816. [2]) l. c. p. 256. [3]) cfr. § 8. [4]) Z. f. A. 1848 p. 1126, 1855 p. 295. [5]) prooem. Bonn. 1856 p. 4 sqq. [6]) praef. Most. p. 17.

Stratonicus. Rud. 932; nomen, quod Lambinus a Plauto fictum esse voluit, Douza recte ad Stratonicum, quaestorem Alexandri praedivitem, retulit.

Timarchides a *Τίμαρχος* cfr. p. 11.

Theotimus. Muellerus[1]) coll. Cleustrata proposuit Theutimus, de qua forma cfr. Ahr. Dial. II p. 215 et Bensel. de nom. ab Theu — incipientibus in lex. Sed forma mihi displicet neque necessaria est.

Hoc loco statim alia quaedam nomina, ex historia vel mythologia repetita, adjungam.

Jaso. Pseud. I. 2. 59. Hic rex, ut Lambinus recte monuit, non est Argonauta, sed Thessaliae tyrannus, qui aetate Epaminondae floruit. Salmasius pro librr. lectione ‚Jasonem' conjecerat ‚Jasionem', ut esset Cereris ille amicus, a Jove fulmine interfectus; eam correcturam Ritschelius, Fleckeisenus, Ladewigius all. probaverunt. Sed codd. scriptura immutanda non est. Primum enim heroem regem dici offendit, deinde veri-dissimile est Plautum, qui absconditas fabulas non proferret, tam reconditam tamque fabularem cum hac re cunjunctionem petivisse. Tum v. 193, quum nisi inter interlocutores versus non dividantur, Callidorus autem et Pseudolus cum Ballione nihil habeant, sed secum ipsi colloquantur, inter Callidorum et Ballionem distribui nequit; neque lacuna, quam v. 194 vv. dd. statuerunt, aut verborum connexu aut loci sententia postulatur. Quare recte Hermannus monuit

Aúdin, furcifér quae loquitur? satin magnificus tíbi videtur?

troch. oct. esse et Callidori servique sermonem duobus versibus confici, Ballionem orationem suam claus. jamb. trim. finire. Sine dubio Plautus haec diligentissime e Graecis vertit; fabula enim, quam secutus est, mediae comoediae fuisse videtur, cui Jasonis persona apta est.

Porthao. Men. V. 1. 45 (742) lect. vulg. post Camerarium ‚Parthao' fuit. BCD ‚Porthaone'; quare emendavit Bergkius ‚Porthaon' (melius ‚Porthao') cfr. Polyaen. VI. 1. 6. Brix Men. l. c.

Phintia, Liparo. Men. II. 3. 58 sqq. tyranni Syracusani vocantur, qui aliunde noti non sunt; quorum prior Phintia, etsi Brixius, cum de tyrannis Syracusanis sermo sit, l. c. tyrannum Agrigentinum commemorari posse negat, tamen, quod alia quoque vitia in illo sermone deprehenduntur, idem est ac Phintias ille Agrigentinus, qui Phintiam oppidum condidit, sive Plautus ipse erravit, sive dedita opera ita scripsit, cum, quod Gronovio facile concedo, illi errores in persona mulierculae excusandi sint, memoria mala, ut fit, rem narrantis et personas tempora loca facta facile confundentis[2]), posterioris nomen in historia prorsus intercidit. Codd. ‚Pinthia' testantur, quod Grutero placuit et ferri potest, quum Pintia, Pinthia, Phintia, inter se non diversa, respondeant graeco *Φιντίας*; equidem praetulerim ‚Phintia', dorice *Φιντίας* pro *Φιλτίας*; Ritschelius et Brixius ediderunt ‚Pintia', id quod Plautus sine dubio scripsit; sed alibi illi quoque aspirationem poëtae ignotam admiserunt; *Πιντία* ‚Liebstadt' oppidum erat Siciliae et Hispaniae. Nomina Phintiae et Liparonis de eodem Agathocle accipiens Petitus ‚Plinthias' *ἀπὸ τοῦ πλίνθου* et ‚Lyparos' i. e. ‚*λυπαρὸς ἢ λυπηρός* i. e. saevus' somniando invenit. *Λιπάρων* a *Λίπαρος* verum nomen est. ‚Pythias', quod Hermolaus et Lambinus, ‚Panthia', quod Camerarius proposuit, nomina non modo supervacanea, sed ne verisimilia quidem sunt.

Terentiani:

Archidemides — Archonides[3]) — **Cratinus — Crito — Callidemides — Demipho — Chremes.**[4])

Demea. Muretus: ‚*ἀπὸ τοῦ δήμου* i. e. homo antiquis moribus' ‚Doerffer.' Quod nomen postea senis notione indutum usu receptum est.[5])

Hegio. Muretus: ‚*ἀπὸ τοῦ ἡγεῖσθαι* a ductu seu principatu.' — **Laches — Menedemus — Phanocrates.**

Micio a *μικο* — (*μικκός* parvus) cfr. Fick p. 195.

---

[1]) Nachtr. z. plaut. Prosod. p. 57. [2]) Rost. Opp. p. 6. [3]) cfr. Fick p. 16 coll. *Ἀρχώνδας*. [4]) cfr. p. 12. [5]) Ita confirmatur, quod supra de Demea et Lachete dictum est p. 7.

Phania; a φανός, ut Phan-ium, Phan-iscus, Phano-strata, Phano-crates, suffixo-ίας[1]) cfr. Din-ia, Clin-ia, Sim-ia, Phaedr-ia, Phintia, Byrrhia, deinde Callia, Critia, denique Sos-ia, Chaer-ia. Quocum cohaeret suffixum ίας (ex ειας) in Saur-ea, Demea; Hegea, Chaerea.[2])

Phidippus, ut parcus senex.

Simylus. Don. Ad. III. 2. 54 ‚Deminutivum a Simo vel Simone. Et nota nomen in palliata fabula Latine deminutivum.' Sed neque Simylus a Simone descendere potest, cujus prior syllaba correpta est cfr. Andr. 41, 503 etc., neque ‚ulus' suffixum latinum est. Talia enim ne Plautus quidem fingere ausus est, nedum Terentius, qui Graecorum vestigia pressit. Codd. quidem omnes ‚ulus' exhibent, sed id graeco - ύλος respondet, quod comicorum aetate a Romanis ‚ulus' scribebatur. Quare reprehendo, quod Umpfenbachius, qui semper ‚y' in aliis tenuit, ‚Simulus' excudi jussit. Sunt autem apud Plautum et Terentium a Σῖμο — (σῖμός stuelpnasig) facta senum nomina: Simus, Simo, Simylus, servorum Simia, Simalio. Ita vocantur ob foeditatem oris vel nasi.

Stilpo. Codd. A c. relqq. Phorm. 356, 389, 390, 740 Stilpho, Cic. Orat. 47, 157, ‚Stilphonem' legebatur; quae forma sane esset prorsus singularis neque explicari posset. Donatus autem ll. cc. legerat ‚Stilpo', quam formam post Fleckeisenum edidit Umpfenbachius; codd. enim auctoritas in scribendis aspiratis et tenuibus valde dubia est. De veriloquio cfr. Curt. Etym. p. 473 cfr. Στίλπαι ‚Strehlen'.

§ 4. **Adolescentes**.

Agorastocles. Fick p. 3 nomen falsum esse statuens Ἀγοραιοκλῆς, quod descendit ab Ἀγ-όρατος, proposuit. Sed nomen, si cum ἀγοράζομαι ἀγόραστος componitur, felicitor a Plauto excogitatum est, ut Poenum mercatorem notaret, nec caret analogia cfr. Agastonice.

Alcesimarchus. Benselerus: Alcesamarchus, quod est vitium typothetae pro Alcesim - archus cfr. Τεύξιμος Τευξιμάρχη, Καλλίμ-αρχος all.

Aristophontes. Hac de forma dubitavit Ritschelius neque, quum sui simile nihil haberet nisi Argeiphontes, ad Ἀριστοφόντης revocandam eam esse censuit; itaque etiam ‚Ἀριστοφώντης' forma repudiata eam retulit ad Aristophon, — φῶντα cfr. Bensel s. v. Sed Plautus flexisset Aristopho, onis. Etiam M. Zink[3]) conjecit nomen, quod fuisset Aristophon, Fulgentium casu obliquo legentem pervertisse. At vel Aristophontes aeolice dictum est pro Aristophantes ut nomen per antiphrasin inditum cfr. Capt. 524 eum designet, qui abominandus intempestive advenit, vel fictum est a Plauto ipso a stirpe φεν — cfr. Bellerophontes, Polyphontes, Lycophontes all. ap. Fick p. 218.

Callidamates. Nominis forma est prorsus singularis, quum reliqua nomina omnia in — damas vel — damos exeant.[4]) Quare Ritschelius eam non pro Καλλιδαμάτης, sed pro Callidamas positam esse censuit; at jam ipse quam similem formam attulit Antidamatae Poen. V. 2. 85 rejecit; deinde Callidama secundum primam declinationem flecteretur; est autem Most. IV. 2. 29 Callidamati, V. 2. 72 Callidamatem; quae casuum species ad nominativum in es exeuntem ducit. Itaque quum Plautus etiam alibi singulare aliquid in nominibus fingendis habeat,[5]) nomen ab ipso ex Callias et Damates cfr. Damateira conflatum esse videtur.

Callidorus. Adhuc sub judice lis est, utrum Callidorus an Calidorus vel Caludorus legatur, nomenque cum καλλι --, an cum καλο — compositum sit. Calidorus est lect. vulg. a Ritschelio recepta; quam testantur cod. A Pseud. arg. II. 1; I 2 cum DFZ; II. 4 c. BCDF; cod. B I. 3 c. FZ; 383 c. CD; 693 D; 906 DFZ; eodem ducit Calydorus A arg. II 15; 906 c. B; B 35 c. C, I. 1. c. C 1043; CDZ 41; nec magis differt, quum vocales i u y saepissime a librariis permistae sint, A 385 Caludorus, quae forma Fleckeiseno all. placuit. Huic nomini non respondet graecum nomen Καλλίδωρος, quod nunquam in ‚Calidorus' mutari potuit, sed Καλόδωρος, ut ‚o' in ‚i' transierit.[6]) At omnia nomina, quae cum καλο -- composita sunt, et perrara et posterioris aetatis sunt,[7]) sive prior pars

---

[1]) Fick p. XXXII. [2]) Fick p. XXXVII. [3]) Der Mythol. Fulgentius p. 89. 4) cfr. Fick p. 109. [5]) cfr. Aristophontes, Diniarchus all. [6]) cfr. p. 12. Corssen II p. 319. [7]) Bensel. in lex.

Calo — sive Cali —, quod latinae analogiae debetur, sonat. Contra cum Calli — composita nomina permulta inveniuntur et apud Plautum, qui ea maxime senum propria esse voluit, haec sunt: Callicles, Callidamates, Callidemides, Callinicus, Callimarchus, Callipho, Callippus. Quare errare mihi non videor, si unum nomen, quod ad *Καλο* — pertinere necesse est, Calidori in ‚Callidorus' immutandum esse censeo; id graeco *Καλλίδωρος* respondet cfr. Callidora. Ut enim Graeci postea non raro λ non geminaverunt[2], ita in codd. consonantes, quae duplices esse debuerunt, saepissime simpliciter sunt exaratae, velut Calidamates Most. 938 BCDFZ, 1021 BCD, 1130 idem, Calipho Pseud. 547 Bc. relqq. all., Calimarchus Trin. 917 CD, Calicles Trin. A all. all.[3]) Et revera Callidorus praebent II. 1 DFZ, 41 F, 906 C. all. Benselerus nihil decernens et *Καλόδωρος* et *Καλλίδωρος* ad Plautum retulit. Quod *Καλλι* — non, ut Fick. p. 41 vult, ad *κάλλος* pertinet, sed ad *καλλίς*, vetustam neque jam usitatam formam.

Cephalio — Chaeribulus — Charinus[4]) — Euthynicus.

Eutychus, non Eutichus; graecum nomen est *Εὔτυχος*, cfr. Epi-tychus, Calotychus (a *τύχη*), non *Εὐτύχης*, quod posterioribus temporibus debetur.

Lesbonicus i. e. is qui Lesbios luxuria famosos luxuria vincit, sed, ut illi, est etiam nobilis et generosi ingenii; nomen aptum est adolescenti, qui per comitatem et animi causa rem disperdidit.

Lyconides — Lysiteles, nomen aptum sano adolescenti, bonae frugis parcoque.

Dīnĭarchus. Lectioni vulgari ‚Dinarchus' et numerorum ratio, velut Truc. II. 4. 5: ‚Non dés amícae Dínárche, suávium' all. et librorum fides contraria sunt.[5]) Nomen autem Diniarchi a Plauto ipso compositum est, nominibus *Δεινίας* et *Δείναρχος*, quod erat nomen adolescentis in graeco archetypo, cujus nomina omnia deprompsit poëta, in unum conflatis.[6])

Epignomus. Hoc de nomine, quod libri ubique testantur, Ritschelius dubitationem non movit, Fleckeisenus autem propter numeros versuum Stich. 238, 282, 371, 372, qui nomen a vocali incipiens et mensuram ◡ - ◡ ◡ exaequans requirerent, illud falsum esse demonstravit.[7])

Menaechmus cfr. Pott. p. 268; codd. EF constanter ‚Menechinus'. Estne de intruso ‚i' cogitandum?[8])

Mnesilochus — Nicodemus — Philocrates — Philolaches — Philopolemus — Pistoclerus — Sosicles — Argyrippus —

Pamphilus. Pro ‚Pamphilippus', quod et exemplo destitutum et a ratione mirum est, nisi nomen ex ‚Pamphilus' et ‚Philippus' a Plauto conflatum esse putamus, Ritschelius, motus testimonio codd. A Stich. 393, ‚Pamphilus' scripsit, quod nomen in metrum v. c. optime quadrat; vv. 506, 527, 582, 583, 596, qui etiam alia interpolationis vestigia ostendunt, contra codd. auctoritatem idem nomen restituit.[9])

Paegnium. Quamquam nomina suffixo — *ιον* formata hominibus liberis dari non solebant et a Plauto praeter Tranium et Paegnium Pers. V. 1. 20 ne viris quidem indita sunt, deinde etsi eodem nomine servolus nequam in Persa vocatur, tamen Lambino Capt. V. 3. 7 ‚Paegnius vocitatust' legenti non adstipulor, quum nomina ejusmodi Plauto prorsus ignota sint. Etenim sicut etiam nos infantibus novissimis hypocoristica nomina dare solemus, ita illi Hegionis filio *Παίγνιον* nomen tributum erat i. e. deliciae, persona quacum ludimus et jocamur Arist. Eccles. 921.

Pleusicles. Lect. vulg. ‚Pleusides', quam tenuerunt Benselerus all., quum nomen a *πλεῦσις* suffixo patronymico fictum mirum sit, dubium non est, quin recte correcta sit in *Πλευσικλῆς*, nomen Atheniensi dignum: ‚navigando clarus' cfr. Callicles all. Similiter in Trinummo codd. pro Callicle saepissime proferunt Callides, fere semper CDF.

---

1) Quae vide ap. Fick p. 41. 2) Calippe Callippe all. all. 3) Incertum est, an simplex ‚l' exemplum geminationis omissae sit. 4) Charinus est persona comoediae doricae i. e. ‚Gracioso' cfr. Mueller Dor. II 343, 357. 5) Ritschl. Lect. Bonn. 1856 p. IV. 6) Bergk. Beitr. p. 120. 7) Plaut. II. p. 233 ubi compluria nomina proposuit. 8) cfr. p. 33. Fick p. XV. 9) Stich. praef. p. XII sqq., Ind. Bonn. 1850.

Phaedromus. Nominis etymologia dubia est. Neque vero ut a *φαιδο*—*φαίδιμος*, ita a *φαιδρο*— est factum Phaedromus, sed ut *Φαί-ανδρος*, ita *Φαίδρομος* cfr. *Λάδρομος* all.

Pleusidippus. Fleckeisenus proposuit *Πλησίδ-ιππος*, quocum comparare liceret Plesippus, nisi id a Benselero in *Πλήξιππος*, a Bergkio in *Τλήσιππος* mutatum esset. Bergkius dubitanter proposuit Plexidippus cll. Plexippus. Sed correctura supervacanea est. Consonans ‚d‘, quam et Pleusidippus et Plexidippus et Plesidippus monstrant, eandem originem atque in Theodippus, Nicodippus, quam Fick p. VII. *Θεο-δ* + *ιππος* i. e. *Θεοδο* = *Θεο-δοτο* ‚gottgegeben‘ explicavit, habere non potest, sed, sicut in Milphid-ippa, Milphid-iscus, stirpi Pleusid— debetur.

Strabax a *στραβός* (strabus) comico hypocorismo *-αξ*[1]) cfr. Strabo; nomen accepit ut rusticus.

Stratippocles cfr. *Στράτιππος*, Ant-ippus, Clyt-ippus, Crat-ippus all; quare scribendum non est Strathippocles.

Quae quum nomina respiciamus, adolescentium luxuriam, libidinem, animos prodigos notari videmus nominibus a certaminibus, re equestri, belli studio, navigando petitis.

Terentiani:

Aeschinus *ἀπὸ τοῦ αἴσχους*, neque vero suffixo *ῖνος*, sed quod proxime accedit *ίνης* fictum, quum penultima correpta sit;[2]) apud Plaut. danista.

Antipho — **Chremes**[3]) — **Clitipho** — **Ctesipho.**

Charinus. ‚*ἀπὸ τῆς χάριτος*, dictus a benevolentia animi‘, quum sit simplex nulliusque consilii.

Chaerea ‚a *χαίρειν* laetus gaudens, quasi dicas ‚Gaudentius‘.

Clinia. Farnabius nomen a *κλίνω* ridicule deduxit, ‚quod fugiendo (in Heaut.) patris morositatem declinaret‘.

Phaedria ‚ob hilaritatem morum‘ — Phaedrus — Pamphilus. —

Nicaretus. codd. BCDEGP, edd. vett., Benselerus tuentur Niceratus. Sed merito ‚Nicaretus‘ (*ἀρετή*)[4]) cum cod. A, quo metrum turbatum restituitur, a Fleckeiseno et Umpfenbachio receptum est.

Cap. II.

Hoc loco sunt recensenda nomina lenonum, argentariorum, parasitorum, militum.

§ 5. **Lenones, Lenae.**

Horum hominum mores, de quibus cfr. Poen. prol. 89 ‚homini, si leno est homo, Quantum hominum terra sustinet, sacerrumo‘, Rud. III. 2. 37: ‚Fraudis, sceleris, parricidii, perjurii plenissumus, Legirupa impudens, impurus, inverecundissimus: Uno verbo absolvam, lenost, quid illum porro praedicem‘ cfr. Asin. I. 3. 13 sqq. all., pulchre nominibus Plautinis depicti sunt.

Ardalus. Pers. III. 2. 3, IV. 3 DbZ Dorralus, III 2 BCDaF ‚Dordolus‘, III. 3 idem ‚Dordalus‘. Itaque libri testantur nomen Dordali, cujus notatio prorsus nulla in promptu est. Quare quum in argumento BCD dorpalum, Z dorpalium, F dorphalum legatur, Ritschelius veram nominis scripturam Dorpalum esse posse putavit neque in textum recepit. At *Δόρπαλος*, a *δόρπον* coena, in lenonem minus convenit. Interim Benselerus dubitanter Dordalum eundem esse statuit, quem *Ὄρδαλον* ‚Weber‘; quod nomen, descendens ab inusitato verbo *ὀρδέω* ‚Gewebe anlegen‘, lenone indignum est; nec explicatur, unde litera ‚d‘ profecta sit. Festive Schneidewinus de nomine lenoni aptissimo ‚Pordalus‘ cfr. *πορδή* (*πέρδω*) *πορδαλέος* cogitavit. Magis ad librorum vestigia accedit *Ἄρδαλος* Ardalus ‚Schmutz‘ *ἄρδαλος* adj. ab *ἄρδα*, nomen lenoni conveniens. Neque vero quidquam certi definiri potest.

Ballio. Pseud. 607 Subballio analogia graeci *Ὑποβαλλίων* a Plauto comice confictum est cfr. suppromus all.

Cappadox;[5]) erat enim libertus.

Cleaereta, de famae consilio vel electione.

---

[1]) Bergk. Beitr. p. 141. [2]) cfr. p. 19. [3]) cfr. p. 12. [4]) Fick p. 104. [5]) cfr. p. 25.

Labrax[1]) et Lycus propter aviditatem lenonibus indita sunt nomina cfr. Poen. prol. 91: ‚Vosmet facite nunc conjecturam ceterum, Quid id sit hominis cui Lyco nomen siet'.

Melaenis i. e. νυκτὸς ἐπιφαινομένη Paus. VIII. 6. 5 cognomen Veneris Corinthi et Thespiis erat; Ἀφροδίτη Μελαινίς autem meretricum domina erat; unde Melaenis nomen scorto convenientissimum videtur esse.

Terentiani:

Dorio cfr. Dorus, Dorias., ut libertus.

Sannio. Muretus: ‚a sannis Grimasse' — revera Sannio est Bajazzo, Harlequin Cic. de orat. II 61. 251 all., at id nomen ipsum e Graecis tractum cfr. Diod. excerpt. Vat. p. 129D neque ejusmodi mores lenonem decent — vel potius ἀπὸ τοῦ σαννίου, ab hasta, qua valere a jocantibus dicebatur'. Neque vero ejusmodi nomina obscoena Terentiana sunt, Plautum redolent. Itaque a Σαννο- cfr. Sannus, Sannius, Sannio, Leckert, quod cohaeret cum σαίνω. Eaque notatio et in lenonem et in servum[2]) convenit.

§ 6. Argentarii:

Aeschinus; Pseud. II. 4. 67 ‚Exornatum adducite ad me, jam ad tarpessitam Aeschinum' quum penultimam correptam habeat, non graeco Αἰσχῖνος, sed nomini Αἰσχίνης respondet.[3])

Archibulus; in iisdem nominibus tum Archi — tum Arche — usurpatur cfr. Fick p. 16; cfr. Chaeribulus, Chaeri-genes, at Chaere-philos, Chaere-phon all. Fick p. 87. De Euclione cfr. p. 13, de Saurea cfr. p. 33. Corss. II p. 346 not. **. Itaque transitus vocalis ‚e' in ‚i' nunquam reperitur.

Archidemus —

Lyco. cfr. Curc. III. 1. 1 sqq. idem est qui Lycus Fick p. XVII. Jam Pott. p. 293 Lyconis nomen factum esse censuit composito nomine amputato.

Misargyrides. Most. III. 1. 41 B mi sarcirites, C misartirites, DF mi sartirites, Z mi saturites. Unde Camerarius et Lambinus conjecerunt ‚Saturides', ut esset Satyri filius. At librr. vestigia diligentius pressa ostendunt nomen jocosa ironia feliciter fictum et per antiphrasin argentario datum Μισαργυρίδης ‚Silberfeind', ita ut danista, quum pecuniae studiosissimus sit cfr. III. 1. 1 sqq., illam quasi odisse dicatur. Cujus nominis quum Don. Ad. I. 1. 1 mentionem fecerit, Gulielmus jam Plauto suum restituit.

Olympichus. ab ‚Ὄλυμπος' suffixo deminutivo ιχος cfr. Kuehn. p. 708 not. 5. Codd. Trin. 425 AF olympicum, CD olimpicum, B olympi, cum. Id argentarii nomen proprium esse Valla et Pius primi viderunt. Neque tamen veridissimile est h. l., ut saepe, libros neglectae aspirationis exemplum servasse et merito Ritschl. Trin. l. c., praef. Stich p. 19 commendavisse ‚Olympichus' idque suo jure in textum recepisse Fleckeisenum; cfr. ‚Olympio' et ὑποκοριστικῶς ‚Olympiscus', nomen villici Casinae.

§ 7. Parasiti.[4])

Parasitorum personae non sunt in XI fabulis: Amphitr., Aulul., Casina, Cist., Epid., Mercat., Mostell., Pseud., Poenulo, Rud., Truculent.; in Asin., Bacch., Trin., sine nominibus partes suas agunt.

Artotrogus. Nomen quis dubitat, quin Plautus, ut qui sciverit rodere esse murium et parasitorum[5]), jlocaliter luserit, compositum ex ἄρτος et τρώγειν, quocum conferas nomina murium, quae sunt in Batrachomyomachia Pternotroctes all.

Curculio; quae forma antiquior luculentioribus testibus nisa est,[6]) ‚Gurgelmensch'. Ipse jocose sibi indit nomen III. 1. 43 sqq. ‚Summani' ‚Unterfluss': ‚Libertus illius, quem omnes Summanum vocant' — Summane salve. qui Summanu's? fac sciam. — Quia vestimenta mea, ubi obdormivi ebrius, Summano: ob eam rem me omnes Summanum vocant'.

Ergasilus. Ἐργάσιλος descendit ab ἐργασι — (ἐργάζομαι) ut Ἐργασίων. Itaque nomen per

---

1) cfr. p. 10. 2) cfr. infr. De Sannionis persona cfr. Welker Kl. Schrift. p. 274, Bernhard. roem. Littg. not. 328. 3) cfr. p. 18 et 37. 4) cfr. p. 8. De parasitorum in nova comoedia partibus Athen. I. 31 sqq. p. 235a 237d, eorumque vestitu Pollux IV 119, 148. Nomina eorum jocosissima sunt: Ἁλο-κύμιος, Ἀριστό-χοραξ, Γαμοχαίρων, Θερμολέπυρος, Λαχανο-θαύμασος, Πλατύ-λαιμος, Ὑποτράπεζος, Φαγοδαίτης, all. 5) Capt. I. 1, 1. 75. 6) Corss. I. p. 807; de consonantibus in ‚Curculio' et ‚Gurgulio' I. p. 77.

antiphrasin[1]) inditum idem fere significat atque ἐργάσιμος; fictum est a Plauto ipso, quum fabula graeca, quam imitatus est, eam personam habuisse non videatur. Et quod Latine I. 1. 1 ‚Scortum' dicitur, graece est ἐργάσιλος; meretrices enim ἐργάσιμοι appellabantur;[2]) scorti autem nomine eum juventus ornavit, quod, ut scortum invocatur ad cenam, ipse veniebat ‚invocatus' i. e. non invitatus.

Gelasimus.[3]) Ipse, quod jam diu invocatus fuerit, nominat se

Miccotrogus i. e. μικρο — et τρωγ — Paucirodus[4]) i. e. qui parva et pauca rodit, quum ad lautas epulas non invitetur cfr. Micro-phagus. Quum AB Miccotrogus praebeant, Microtrogum scribi non oportet;[5]) cfr. p. 19.

Peniculus. Men. I. 1. 1, Juventus nomen fecit Peniculo mihi, Ideo quia mensam, quando edo, detergeo' cfr. Πιναχόσπογγος.[6])

Saturio; utrum nomen latinum (a ‚satur') an idem sit, quod Σατυρίων, de cujus etymologia cfr. Bensel. s. v., dubitari potest.

Charmides Rudentis, quem edd. ita vocant, parasitus non est.

Terentiani:

Gnatho. Nomen parasitorum nov. com. frequentissimum, unde Plut. mor. p. 707[e] γναθώνειοι i. e. ‚ex more parasitorum' et Eun. II. 2. 32 sqq. ‚Si potis est, tamquam philosophorum habent disciplinae ex ipsis Vocabula, parasiti ita ut Gnathonici vocentur', derivatum est a γνάθος mandibula, ut significet hominem edacem, οὐδὲν ἄλλο ὄντα ἢ γνάθον,[7]) i. q. latine est Bucco (a buccae) Pausback, vel Mando Kauer.[8]) Reliqua nomina, suffixo ampliativo[9]) facta, sunt Crito, Dromo, Blepharo, Jacho, Liparo, Lyco, Pelago, Simo, Strato, Thraso.

Phormio. Donat. praef.: ‚Nulla dubitatio est — errare eos, qui — Phormionem parasitum putant a formula litis, quam intenderit, nominatum, quum Graeca lingua fiscus sparteus et stramen nauticum sic dicatur"[10]) a cujus rei vel capacitate vel vilitate etiam ab Apollodoro parasitus Phormionis nomine nuncupatur' et prolog: ‚Ergo inde parasitus, vilissimae conditionis homo, nomen accepit'.[11])

§ 8. Milites.[12])

Antamynides; de ejus moribus cfr. Poen. II. 1. 25 sqq. Nomen in ipsa fabula uno loco legitur V. 5. 43, ubi AB Antamonides, C antomonedes, D anthomonedes; II. 1 A Antamoinides, BCD Antamonedes, V 5 A Antam . . ., B Antamoenides. Quas lectiones quum consideremus, mirari sane licet, qui fieri potuerit, ut edd. vett., Rostius, Benselerus, Brixius all. ‚Anthemonides' fingerent et propagarent. Quod nomen etsi non cum Ritschelio, qui ab ἄνθεμον sana ratione Ἀνθεμωνίδης fieri non posse statuit, origine falsum putaverim, quum ut ab ἄνθεμον Ἀνθεμίων, Ἀνθεμίδης, ita ab Ἀνθέμων cfr. Ἀνθεμώνη formetur Ἀνθεμωνίδης, tamen ei[13]) assentior notione illam formam ineptissimam esse, quippe quae minime trucem indolem militis significet; denique codd. auctoritate prorsus destituitur. Quorum ex vestigiis profectus Ritschelius verum esse nomen contendit Antamoenides Ἀνταμυνίδης, ita ut egregie militis ἀνταμυνομένου imago denotetur. Quod nomen formatum est ut Ἐπιμενίδης Παρμενίσκος etc. Equidem praetulerim Antamynides; de transitu longae vocalis υ in oe, quem Ritschelius sine causa statuit, cfr. Schuch. Vulglat. II p. 286 sqq., 288; Corss. I 710 not., II 75 not., deinde libri suadent, ut Antamonides, non Antamoenides formam probemus; illa vocalis ‚o' autem vitiosa est scriptura, orta inde, quod in mss. pro ‚υ' falso scribebatur oe cfr. Fleck. N. J. 93 p. 13. Nom. deest ap. Bens.

Diabolus ‚Kraeckler', qui amores Demaeneti deferendo delevit. Diabolus edd. vett.; Diabulus Fleck.; at prior forma antiquior est cfr. Corss. II p. 142.

---

1) Capt. 69 sq. 99. 2) Artemid. I. 78. 3) p. 10. 4) Fick p. 57. 5) cfr. p. 34. 6) Cic. Fam. IX 22. 2. 7) Lobeck. pathol 501. 8) De Gnathone et parasitis edacibus Eun. prol. 38, Luc. Tim. I p. 159. 9) Buttm. II p. 444, Fick p. XXIV. 10) φορμός, φορμίον: Phormio κόφινος· παρῆκται δὲ ἀπὸ τοῦ φορμοῦ· φορμὸς ὁ καλαθίσκος. 11) Cic. Caeci. 10. 27: ‚Sext. Clodius, cui cognomen est Phormio, nec minus niger, nec minus confidens quam ille Terentianus est Phormio'. Aus. Epp. 22 ‚canus, comosus, hispidus, trux, attubus, Terentianus Phormio. 12) cfr. p. 8. 13) prooem. Bonn. 1856 p. VI. sqq.

Polymachaeroplagides ‚Harteckholt' Pseud. 988; 1040 ‚vir dentatus'. Nomen ipso amplo ambitu magnificentiam, arma, gloriam sonans usque ad Ritschelium corruptum legebatur Polymachaeroplacides, quod librr. tuentur. Quae vox quum, si sensum haberet, hybrida esset, a Salmasio jam in — plegides correcta est; proxime ad libros accedit Ritschelii inventum (πλᾱγά dor. = πληγή).

Pyrgopolynices. Alter ille Achilles Mil. 61, 1054, qui Martem ipsum in proelio a se servatum gloriatur (13) et ut Veneris nepos cognomen sibi Pulchro assumpsit (1037), nomine felicissime ficto, ironiae pleno donatus est ‚Thurmstreithard, Stadtfesteneroberer[1]) cfr. Diphili Αἱρησιτείχης. Lectio vulg. Pyrgopolinices minus arridet, quum Πυργόπολις non extet nomenque sententiae parum conveniat. Recte scripsit Benselerus Pyrgopolynices, quod compositum est ex πύργος i. e. urbs turribus munita et πολυνίκης cfr. Πολυνίκη, Polynicus; est igitur miles, qui castella saepe expugnavit. Alteram partem nominis Fickius immerito ad Πολυνείκης traxit; ad quod etsi nomine ab ipso poëta ficto sine dubio alluditur, tamen ironia jocosa nominis ita deleretur. Quod ut statueret, Fickium incertum non est movisse id, quod reliqua nomina omnia, quorum pars altera νῑκ- est, in νικος desinunt cfr. Fick. p. 128. Nec contentus est Plautus uno nomine, sed ut militis ostentationem ridiculam describeret, nominum varietate dulcissima lusit: Urbicapus IV. 2. 65, Occisor regum all. — Ecce nomen imperatoris, Neptuni nepotis, quem vicit Pyrgopolynices:

Bumbomachides Brausewald, ex eo genere oriundus, qui solo verborum sonitu vano (βόμβῳ) pugnant ‚Maulhelden'. Est idem

Clytomestoridysarchides; cujus nominis pars prior κλυτὸς μήστωρ Hom. Il. IV 328, V 272, XX 320 all. quum alteri parti δυσάρχειν, quae nos Δυςπάριος Il. XIII. 769, admonet, prorsus contradicat atque impugnet, non paulum ad risum movendum confertur. Etenim lect. vulg., quae Camerario debetur, Cluninstaridysarchides i. e. ‚ejus filius, qui aegre oboedit imperanti, ne clunibus instet', etsi leporis plena est, tamen quum Plautum voces ex graecis latinisque vocabulis conflatas non admisisse Rost. Opp. p. 88 sqq., 249 sqq. mihi persuaserit, dubium non est, quin falsa sit. Reliqua quoque nomina, quae Ritschelius pro codd. corruptis litteris protulit Κλυτομισθυρνοδυσαρχίδης, Κλυτομυσταχιδυσ. non eadem ironia sunt composita atque nomen quod supra demonstravimus.

Therapontigonus Platagidorus ‚Diemans Klappergabe'. Θεραποντί-γονος cfr. Antigonus, Chryso-gonus, Iphi-gone. Curc. IV. 4. 5 uno vocabulo dicitur ‚Therapontigonoplatagidore'.

Stratippocles,[2]) qui Epid. II. 2. 115 nominatur ‚magnus miles, raptor hostium, gloriosus'.

Harpax ‚Gierig'.[3]) — Terentiani.[4])

Cap. III.

De nominibus meretricum, servorum all.

§ 9. Meretrices.

Acropolistis — Acroteleutium[5]) cfr. Acrotelestis; nomen meretrici aptum, qua res ad finem perducitur, vel ob pulchritudinem vel ob domicilium.

Adelphasium; nomen descendit ab ἀδελφο-, terminatione deminutiva — ιον in perraram ᾱσ-ιον aucta,[6]) cfr. Philocomasium, κορᾴσιον. Alia nom. propr. ita ficta desunt. — Nomina propria autem suffixis deminutivis[7]) facta permulta poëta adhibuit vel adulationis causa vel deminutionis aetatis. Quorum pars maxima in ιον exiens meretricibus et servis[8]) convenit. Quae quum essent non personae, sed res, jam Graeci iis alia nomina indiderunt atque liberis. Apud Plautum ejusmodi nomina XVIII[9]) exstant, apud Te-

---

[1]) cfr. Lessingii ‚Hauptmann Mauerbrecher' et Murneri ‚Eisenfresser, die ganze Heere haben erschlagen und ward kein Todter weggetragen'. [2]) cfr. p. 18. [3]) cfr. p. 8. [4]) cfr. p. 8. [5]) cfr. p. 10. [6]) Buttm. II § 119 n. 33**, Kuehm. I 708. [7]) Pott p. 129 sqq. [8]) Paegnium, Pinacium, Tranium. [9]) Acroteleutium, Astaphium, Crocotium, Delphium, Eleusium, Erotium, Gymnasium, Philematium, Philaenium, Pithecium, Phoenicium, Phronesium, Planesium, Selenium, Stephanium.

rentium quatuor.[1]) Alterum suffixum deminutivum est *ιδ* —, nomina exeunt in *ις*;[2]) tertium *ιχος*,[3]) quartum *λος, ιλος, υλος, υλλος*,[4]) quintum *αξ*.[5]) Et quum nomina deminutivis suffixis, maxime — *ιον*, facta prorsus accessissent ad primitivorum notionem, ut hypocoristice usurparentur, duo vel plura suffixa deminutiva componebantur; velut *ιδ* — et — *κο: ισκος*. Qua terminatione blandiendi causa pro primitivis poëtae usi sunt; ita promiscue nuncupantur Cas. III 6. 14. al. Olympio Olympiscus, Cist. II. 3. 2, 50 all. Lampadio Lampadiscus, Poen. I. 3. 12 Milphio Milphidiscus, Ad. V. 1. 1 Syrus Syriscus cfr. Hec. I. 2. 5 sqq. Philotis Philotium. Sed etiam propria nomina suffixum *ισκος* monstrant: Ampelisca, Coriscus, Collabiscus, Halisca, Pardalisca, Polybadiscus, Phaniscus, Sophoclidisca[6]) — Discus, Syriscus.[7]) Dupplex suffixum cognoscitur etiam in Hedyl-ium, Anterast-yl-is, Strat-yll-ax. Atque adeo quatuor suffixis, ut per deminutionem nominis blandiretur, Plautus usus est in Stephan-i-sc-id-ium, Astaph-yll-id-ium,[8]) cui respondet unum *μειρακυλλίδιον* a *μειράκιον*.

Aeschrodora cfr. *Αἴσχρη*; i. e. ‚quae pudenda et turpia praebet'. Nom. deest ap. Bensel.

Ampelisca ab *Ἄμπελις*. Eo nomine est meretrix Luc. mer. VIII. 1.

Anterastylis ab *ἀντ-ἐραστος*; alia forma est Anterastilis cfr. Archilis, Xystilis all; cfr. Antiphila.

Astaphium. ab *ἀσταφίς* i. e. uva passa, ob suavitatem amoris, ut Glycera, Phoenicium all. all. Blande appellatur Astaphyllidium Truc. V. 1. 5 pro quo edd. vett perperam Astaphylitium vel — ilitium.[9]) Tertiam formam hujus nominis I. 2. 85 poëta nuncupavit:

‚Per témpus súbvenstís mihí, sed quíd ais Stáphium? — Quíd vis?'

item I. 2. 27.[10]) Ita enim cod. A lectio servatur. Ut autem *α* prothetico, tum addito tum omisso, *στεροπή ἀστεροπή, στάχυς ἄσταχυς* all. dicebantur, sic *σταφίς* et *ἀσταφίς* in usu erant Lobeck de proth. c. 1. § 1, pathol. elem. I p. 13 sqq., Fritsche D. secund. Sprachl. Progr. Goerlitz 1873 p. 2. Atque etiamsi nomen proprium inde derivatum ‚Staphium' nunquam alibi occurit, tamen, quum Astaphium quoque apud Plautum solum inveniatur, quid est quod, si versus modus atque ratio postulaverit, breviorem formam poëtae non concedamus? Plautus nomen ex graeco exemplari repetitum pro versus necessitate adhibuit; etenim qui metri causa non raro terminationes nominum variaverit,[11]) non abhorret statuere eum idem in nominum initiis ausum esse.

Bacchis cfr. Bensel. s. v. — Chrysis.

Delphium a *δελφίς*, ut *Ἀρτέμιον* ab *Ἄρτεμις*, cfr. *δελφάκιον* i. e. *γυναικεῖον αἰδοῖον*.

Erotium; ab Eros, nom. servil; i. e. Amorette.

Eleusium ab *ἔλευσις* cfr. *Ἐλεύσιος* all; haec nominis forma deest ap. Bensel.; is protulit *Ἐλευσίνιον*.

Glycera. Nomen meretricum tritissimum est;[12]) idque cum Glycerio, quod est apud Terentium, promiscue usurpabatur.[13]) Dubito, utrum Glycera ad adjectivum *γλυκερός* referam an compositum putem ex *γλυκ-* et *ἐρος* (*ἔρως* amor) cfr. *Ἑρμ-ερος* all. Fick. p. 114. Quod Spengel. T. Macc. Plaut. p. 29 sqq. adstipulantibus Bugge et Lorenzio invenit nomen *Δικαία*, etsi exemplo non destituitur, quum Mil. III. I. 213 *Δικαίαν* penultimam correptam ostendat, merito Ritschl. Opp. II p. 707 irrisit.

Gymnasium cfr. p. 10. — Hedylium cfr. supr. — Melaenis cfr. p. 19.

Leaena. Pro hoc nomine edd. vett. Curc. I. 1. 77; 2. 20 protulerunt ‚lena'. Sed praeterquam quod illa anus janitrix, non lena est, verba I. 1. 98 ‚Quasi tu lagaenam dicas' aperte demonstrant Leaenam esse verum nomen et I. 1. 77 ‚Nomen Leaenaest', 2. 20 ‚Respice ad me, Leaena' legendum esse. Leaena autem meretricum nomen usitatissimum fuit, quum leaena in meretricum sacris maximi momenti fuerit; erat enim leaena Venus significata meretricum domina. Quare Movers. Phoen. I. 54 ‚Leaenam', ‚Leontium' graecas esse versiones nominis Phoenicii ‚Lais' voluit; sed cfr. Pott p. 695.

---

1) Dorcium, Glycerium, Phanium, Philotium. 2) Soteris, Lemniselenis all. (Plaut.); Thais, Philotis (Ter.) 3) Olympichus Fick p. XLII. 4) Ergasilus, Toxilus, Archilis, Simylus. 5) Fick XLII, Kuehn. I p. 708. Labrax, Stratyllax, Strabax. 6) Plaut. 7) Ter. 8) Truc. V. 1. 5. Kuehn. I p. 708. 9) cfr. supr. 10) Fleckeis. N. J. 1873. p. 505. 11) cfr. cap. V § 1, § 5 fin. 12) Meinek. Menand. p. 8, Bensel. s. v., Wieland Men. u. Glyc. p. 5 Hempel. 13) Philostr. Epp. LXVIII. p. 947. Alciphr. epp. II. 3. 17, 4. 2. Wieland. l. c.

Lemniselenis *Λημνοσεληνίς*.[1]) Pers. II. 1, V. 1 F Lemnisselene, Z Lenescelene; unde profecta est lect. vulg. Lemniselene, quam Rostius, Benselerus, Corssenus tuiti sunt. Quam formam tralaticiam nec fidem nec rationem habere et a Plautini tam generis quam aetatis indole abhorrere, ut Lemniselena necessitate certissima efferenda esset, recte Ritschl. Pers. praef. p. X censuit. Cui formae convenienter edd. vett. II. 2. 14 dativum Lemniselenae, a Camerario ex cod. FZ lemnisselene restitutum, protulerunt; accus. II. 2. 66 Lambinus in ‚en' terminavit, quae Graecorum, non Plauti formatio est; lect. vulg. Lemniselenem neque a Lemniselena neque a — lene descendere potest. Itaque quum II. 2. 14 B lemniseleni, CD lemnisseleni tradant, sine dubio dativus Lemniseleni sonat; deinde quum II. 2. 66 BCDFZ acc. in ‚em'[2]) testentur, merito Ritschelius nominativo ‚Lemniselenis' excudendum curavit. Nomen derivare licet a *Λῆμνος*, ut nomina cum *Λέσβος* composita sunt, vel a *λῆμνος λημνίσκος* taenia, infula; Selenium igitur hujus nominis hypocoristica forma est.

Milphidippa[3]) — Palaestra[4]) — Phoenicium[4]) — Philocomasium a *Φιλοκώμη*.[4]) — Philematium[4]) a *φίλημα*, quod ad suaviandum pellicit. — Phronesium[4]) — Phrygia; tibiae quum in Phrygia inventae sint, nomen tibicinae aptissimum. — Scapha.[4]) — Planesium i. e. ea quae illicit et pellicit.

Philaenium. Ita scribendum est, non Philenium, a *Φίλαινος* cfr. Philaenius, — is; alii cogitaverunt de Philenio, quod alibi non invenitur; sed quid *ἠνίον* sibi habeat cum meretrice? Plautum ignoraverunt, qui voluerunt Philoenium i. e. vini studiosam.

Pasicompsa i. e. *πᾶσι κομψή* i. e. omnibus partibus compta et bella cfr. Merc. III. 1. 19 ‚ex forma nomen inditumst'.

Selenium. Cujus meretricis nomen in omnibus edd. fuit adhuc Silenium *Σιλήνιον Σειλήνιον*, quibuscum contuleris nomina mulierum *Σειλήνη* all. cfr. Bensel.; unde Pareus nomen intelligi voluit de puellis, quae simis naribus essent, itaque duxit a Silenis. At formae, graecae nec per se veridissimili, libri non secundant; constanter enim cod. B. Selenium *Σελήνιον*; idem Ambrosiani vestigia testantur.[6]) Nomen quidem est singulare; sed Selene, nomen muliebre, cfr. Bensel. saepe occurrit et Selenium apte meretricis pulchritudinem depingit. Nom. deest ap. Bens.

Stephanium, serva meretrix, a *Στεφάνη*; Stephaniscidium Stich. V. 4. 57.[7])

Xystilis, a *ξυστός* porticus; Lambinus edidit Xystylis, Fleckeisenus Xustulis; sed. Pseud. I. 2. 76 omnes libri ‚ι' confirmant cfr. Archilis.[8])

Terentianae:

Antiphila — Bacchis — Chrysis — Glycerium[9]) — Pamphila[10]) —

Philotis et Philotium,[11]) a *φιλωτός* adj. verb.; non est compositum *Φιλ-ῶτις*, cujus pars altera ad *οὖς* pertineret cfr. Col-otes, *'Ερί-ωτος* all., quum aurium significatio absurda esset.

Syra, serva meretrix cfr. Scapha.

Thais. Erant qui a pavone addita aspiratione meretricem dictam vellent; alii ad ‚*θεατός* spectabilis' retulerunt, ‚a *θεάομαι* specto, quasi dicas ‚speciosa'; alii a *θάω* doric. pro *θέα* (cfr. *θαῦμα*) deduxerunt i. e. ‚venusta specie devinciens'. Merito nomen composuit Fick. p. 36 cum *Θᾶς*, — *ιανός*, — *ιμος* all, ut sit *Θαϊδ* — patronymicum nominis *Θᾶς*; *Θᾶς* autem contractum est ex *Θέας*, — *εεας* et pertinet ad *Θεο* — *Θεα* (*θεός*) cfr. Martial. Epigr. XIV 187.

§ 10. Servi, Coqui all.

Nomina honorifica omninoque ea, quae inter cives ingenuos usitata erant, servis data non sunt. Quae quo celerius et facilius a dominis pronunciari possent, plerumque brevia imponebantur; quod ita factum esse a Terentio, minus a Plauto videmus Atque ut servi fere nominabantur nomine gentis, a qua oriundi erant, *Γέτης, Δᾶος*, Athenis usitatissimis servorum nominibus, *Λυδός, Κάρ* all. cfr. Schol. Theocr. V. 2 ‚*εἰώθασι δὲ οἱ παλαιοὶ τοῖς*

---

[1]) cfr. p. 12. [2]) Ritschelius dubitanter ‚im' proposuit. [3]) cfr. p. 18 et 31. [4]) p. 10. [5]) p. 21. [6]) Studem. Ind. Gryphisw. 71/72 p. 7. [7]) cfr. p. 22. [8]) p. 25. [9]) p. 22. [10]) Eun. et Phorm. cfr. p. 9, 10. [11]) p. 22.

δούλοις ὀνόματα τιθέναι ἀπὸ τῶν ἐθνῶν'. ita factum est etiam in comoedia cfr. Donat. Andr. I. 3. 21 ‚Semper autem nomina comicorum servorum aut a nationibus sunt indita . . . .;' Hellad. Phot. biblioth. ‚*ὅτι οἱ κωμικοὶ τοὺς οἰκέτας τὸ μὲν πλέον ἀπὸ τοῦ γένους ἐκάλουν* . . . .' Cujusmodi nomina etsi Plautus non ignoravit, tamen ea quae usu tritissima erant, aspernatus est. Desunt igitur apud eum servi illi fallaces Davi et Getae, de quibus Galen. de Nat. I, 17: *ὁμοίως τοῖς ὑπὸ τοῦ βελτίστου Μενάνδρου κατὰ τὰς κωμῳδίας εἰσαγομένοις οἰκέταις, Δάοις τισὶ καὶ Γέταις, οὐδὲν ἡγουμένοις σφισὶ πεπρᾶχθαι γενναῖον, εἰ μὴ τρὶς ἐξαπατήσειαν τὸν δεσπότην* cfr. Ov. A. A. III 331, Apul. Floril. XVI 22; Davus pater Sosiae vocatur Amphitr. Neque minus improbavit nomen Syri all. cfr. Bacch. IV. 4. 7 ‚Non mihi isti placent Parmenones, Syri, Qui duas, tris minas auferunt heris', etsi eorum patientiam laudat Trin. 540 ‚genus patientissimum hominum' cfr. 545,[1]) Merc. II. 3. 79 ‚emero Ancillam viraginem — forma mala — aut Syram aut Aegyptiam'; neque enim Syrus ille, Pseudoli inventum, repugnat. Sed ut Syrum nominaret, posuit ‚Libanus'; Bithynos. robustissimum illud servorum genus,[2]) vocavit Sagariscionem, Sangarinum, Sangarionem; Mysi sunt apud eum Olympio, unde Olympiscus et Olympichus (libertus); praeterea habemus servos Plautinos Carionem, Lydum, Messenionem — *Μεσσήνη εἱλωτικὴ γῆ* —, fortasse Tyndarum, Cappadocem libertum, servas Casinam (?), Giddenenem, Syram, Thessalam, Phrygiam libertam, Ampsaguram (?) uxorem, at Poenam; nulli ingenuo homini nomen gentile poëta indidit. Magis gentilia amavit Terentius cfr. Davus, Geta, Sanga, Syrus, Syriscus; Mysis, Phrygia, Pythias, Syra; Babylo est cognomen Micionis, ut hominis prodigi; eodem pertinent nomina, quae in servi cujusque patria erant usitatissima, velut Mida all. Pergit Donat l. c. ‚aut ex accidentibus aut a moribus et vernilitate aut ex negotio aut ex qualitate corporis aut ex specie formae'. Hellad l. c. *ἐκάλουν δὲ τὰ ἐξ ἐπιθέτων, ὡς ἀπὸ τοῦ χρώματος μὲν . . . ἀπὸ τοῦ τρόπου δὲ . . . κτἑ.* Protulerunt poëtae hujusmodi nomina Dromonem, Chrysalum, Pinacium, Pistum, Pseudolum; Byrrhiam, Lesbiam (vinosam), Parmenonem all., quorum larga copia, quae major Plauti est, ex iis quae sequuntur, facile colligi potest. In quibus maxime notandi sunt coqui, quorum in scurrilibus moribus describendis Plautus magnopere sibi placuit, sicut omnino novae comoediae poëtae.[3]) Horum nomina statim subjungam:

Anthrax[4]) — Cario — Cyamus;[4]) nom. deest. ap. Bensel. — Dromo —

Cylindrus. Men. I. 4. B cilinidorus. Nominis significationem Plautus, ut saepe[5]), aliorsum vertit. v. 294 ‚Seu tu Culindru's seu Colindrus, perieris'; sed quaeritur, qua in re jocus ille consistat. Codd., edd. vett. ‚Coriendrus'. Multi Scaligero praeeunte ediderunt ‚Caliendrus'; Lambinus, qui jocum in paronomasia esse vidit, ‚Coliendrus' recepit idque nomen eadem notione, qua Coriandrum esse voluit; ‚Coriandrus' Bothius dedit; quorum uterque de nomine a *κόρις* ‚Wanze' facto cogitasse videtur; ‚Cicilendrus' Douza hariolans proposuit, ‚Culiendrus' Guyetus. Quae lectiones omnes excepto Culiendro: et Caliendrus, de cujus nominis probabilitate jam ob sensum non aptum Schwabe N. J. 1872 p. 413. dubitavit, et Coliendrus et Coriendrus, nedum Cicilendrus vel Coriandrus, eodem vitio laborant; nimis diverse a ‚Culindrus' sonant. Magis igitur nomen a Schwabio l. c. inventum ‚Colindrus' arridet. Etenim poëtam etiam nomini ‚Culindrus' aliam notionem h. l. subesse voluisse atque graeco *Κύλινδρος* est, nomenque a latina voce derivasse viderunt jam N. Heinsius et Salmasius, quum Menaechmum, ut coquum illuderet, ejus nomen, tamquam stirps ejus culus i. e. ‚podex, nates' esset, repetivisse statuerent. Unde efficitur, ut Plautus alterum quoque nomen ex voce latina ipse finxerit. Quod nomen, ut verborum lusus placeat, ejusmodi esse oportet, ut ejusforma sit priori simillima, notio diversa[6]), at item obscoena. Quare Salmasii inventum, quod Lambinus, diversa quidem notione, in textum intulit, ‚Coliendrus' (a coleis i. e. culeis, voce obscoena, confictum), etsi prorsus in locum quadrat: ‚Sive a culo sive a coleis, nomen habes, perieris' nomenque, ut versus sanus sit, Coljendrus legi potest, tamen forma et specie a ‚Culindrus' nimis differt. Et quum a ‚coleus' nomen satis respondens ‚Coleindrus' formari nequeat,

---

[1]) Momms. R. G. I 671. [2]) Juven. VI 351. [3]) cfr. Athen. p. 280 f., 290 ab. [4]) cfr. p. 10. [5]) p. 3 sqq. [6]) Itaque falso Gyetus ‚Culiendrus'.

codd. scripturam mittamus. Prioris nominis partis stirps igitur est colis i. e. caulis, penis, ut sit Colindrus idem ac Mentula. Terminationes autem ‚andrum, endrum, indrum' quam libere usurpaverit poëta, Pseud. 831. voces cicilendrum, cepolindrum, cicimandrum all. docent. Denique quum in vulgi ore[1]) pro ‚culindrus' forma ‚cŏlindrus' fuerit, Colindrus quam maxime ad coqui nomen proprium accedit.

Gongrio; *Γογγρίων* a *γόγγρος* Meeraal; immerito Klotzius *Κογγρίων*; nam litera ‚c' in vocabulo conger falsa est, si notationem spectes cfr. Corss. II. p. 189, Ter. Ad. 377. AB ‚gonger'. Nom. deest. ap. Bensel.

Machaerio; jocosum nomen subcoquo aptum est; a *μάχαιρα* Opfermesser; *μάχαιρα*, qua caro dividebatur, culinae supellex erat; coqui cultro armati in scenam prodibant Mil. 1397, Truc. II. 7. 66[2]), Aul. III. 3. 3. Itaque Aul. II. 9. 1 Gulielmus voluit non coqui nomen, sed cultelli coquinarii genus intelligi; quod neque in l. c. quadrat, neque aliunde probabilitatis speciem habet.

Terentiani: Dromo — Stephanio.

Reliqua servorum nomina sunt:

Acanthio;[3]) BDFZ achantio. ab *ἄκανθος* suffixo *ιων*, quod in nomm. servv. frequens est;[4]) *ἄκανθος* compositum est ex *ἀκα-* et *ἄνθος* i. e. ‚Doener, Igel'.

Archilis, tonstrix, Syra. Edd. vett. I. 2. 28: ‚Archivam obstetricem', BCD Archinam. Archiva esset *Ἀρχιβία*, nomen obstetrice dignum.[5]) Sed in A. extat Archiline; deinde quum eadem serva Truc. II. 5. 26 ‚Archilis' vocetur, etiam priore loco nomen restituendum est ‚Archilis'. Quod nomen haud scio an Terentius Andr. I, 4. 1, III. 2. 1 a Plauto mutuaverit. Apud Plautum codd. exhibent ‚Archilis', item apud Terent. ll. cc. BCDEPG Donat. (G duplici ‚l'), Eugraph., Prisci., ubi Bentlejus, quem Umpfenbachius secutus est, ‚Archylis' edidit. At sicut *Ἀρχυλίς* femininum est nominis *Ἀρχύλος*, ita *Ἀρχιλίς* nominis *Ἀρχίλος*, quod formatum est ab *Ἄρχης*, ut *ναυτίλος* a *ναύτης*, *ὀπτίλος* ab *ὄπτης* all. cfr. Xystilis p. 23.

Artamo. ab *ἄρταμος* lanius; quae originatio in lorarium magis convenit, quam quod coll. *Ἄρταμις* et *Ἄρτεμις* nomen *Ἀρτάμων* cum *Ἀρτέμων* componatur, ut sit dorica forma.

Bromia cfr. tibicinam *Βρομιδίαν*. —, **Archestrata**, nutrix. —

Cacistus. Studem. de Vidul. Gryphisw. 1870 p. 19. Quo de nomine, quum simile nullum apud Plautum extet, dubitandum esset, nisi A id tueretur. cfr. Pott. p. 107, *Ἄριστος*, *Κάλλιστος* all. Nomen deest ap. Bensel.

Canthara,[6]) semper anus, femin. voc. *Κάνθαρος*. Nutrix anus quum sit Epid., Adelph., Heaut., Andr., propter ornatum, quod genus quoddam aurei scarabaei gestabat, non, ut Farnabius voluit, *ἀπὸ τοῦ κανθάρου* a poculo, quod nutrix puero praeberet potum, nomen accepit; nutrix enim serva est honestiore loco cfr. Archestrata, Sophrona.

Casina. Casinae veriloquium adhuc incertum est. Petitus ex prol. 34 verbis ‚Latine Plautus cum latranti nomine' falsum et ineptum nomen commendavit ‚Canissa Huendin, quod ne in versum quidem convenit. Salmasius autem, etsi illud latrans nomen ad Casinam ipsam retulit, quum mulieres ut oblatrantes saepe canes dictae essent, a primitivo *κάσις* (frater, soror) factum esse *Κασίνη* contendit. Sed si verba ‚latrans nomen' ad Casinam pertinent, in ipso nomine, non in eo, quod Casina mulier est, causam inesse necesse est, cur serva ‚Casina cum latranti nomine' dicatur. Porro Fleck. N. J. 1871 p. 638 sqq. nomen a *Κάσος* insula derivavit: *Κάσος Κασίνη*, ut *Ἄσος Ἀσίνη*, *Μύρρος Μυρρίνη* all. Quod fieri potest, quum Casina, etsi ingenua virgo, ut serva educata, nomen servile acceperit. Sed quid sibi vult illud latrans nomen? Rost. Opp. p. 297 id ad Plautum ipsum refert, ‚quia canes quidam Festo memorante Plauti appellabantur'. At illud ‚Plautus cum latranti nomine' mihi displicet. Fuit qui coll. IV. 3. 16 ‚Jam oboluit Casina procul' a casia ‚Zimmt' nomen deduceret; sed apud Plautum est etiam ‚marsuppium oboluit' etc. Verborum contextum prol. 34 sqq. quum considero, latrans nomen

[1]) Fleckeis. N. J. 1866 p. 244. [2]) Frgm. com. Gr. III 465 v. 11, IV 68. v. 7. [3]) p. 10. [4]) Buttm. II. p. 437. [5]) Corss. I p. 311. [6]) p. 10.

ad Casinam, nomen fabulae, pertinere puto et Casinam, a *κάς* cfr. *κάσσα* deduxerim, quum formae paragogicae hujus stirpis simplici *ς* usurpatae sint, ita ut nomine fabulae argumentum fabulae satis lutulentum et obscoenum notetur. Nomen deest ap. Bensel.

Cerconicus. Hic statim collecta propono nomina servorum furacium Trin. IV. 3. 15, quae poëta joculariter confinxit. Quorum *ἔτυμα* investigare etsi Taubmannus otio suo abuti esse statuit, tamen ea magnopere vv. dd. sagacitatem ad explicandum incitaverunt. Verborum autem sensus postulat, ut nomina ipsa significent servos eos esse, qui, ut ab alieno manus cohibeant, fieri non potest. Alii eum sensum invenerunt in nominibus quum ‚furari, rapere' significantibus, tum homines pauperes et famelicos notantibus; alii iis nomina esse voluerunt a tormentis recepta, quibus ut furaces castigari consuerant, id quod v. 1022, illa nomina ita explicante, commendatur. — Ex cod. D cerñonicus lect. vulg., quam Ritschelius, Bergkius, Fleckeisenus, Brixius, Benselerus all. probaverunt, recepta est Cerconicus; idque nomen ad *κέρκος* i. e. nates vel *πόσθη* mentula retulerunt. Sed quid sibi vult illud vocabulum, inter reliqua singulare, quum non ad ipsam furatrinam spectet. Licuit poëtae liberiore jocandi genere ludere, at reliquis nominibus convenienter. Melius jam est Osthelderi Cerdonicus. Spengelii autem Trin. praef. p. VII inventum ‚Crĕcŏnicus', compositum ex *κρέκειν* et *νικᾶν* i. e. servus pertinacia plagas vincens' me permovit, ut credam Cerconicum ut veram esse formam, ita pertinere ad *κέρκειν*, metathesi ex *κρέκειν* factum cfr. *κερκάς κερκίς* all., ut ei sit notio a Spengelio Creconico vindicata i. e. plagapatides.

Circobulus. codd. BCD, lect. vulg., Bergkius: cercobulus; EFZ Benselerus: cercobolos. Sed merito Ritschelius monuit veridissimillimum esse bina deinceps nomina eodem initio Cerco — fuisse. Nec magis placet Spengelii inventum ‚Cerdobulus', quod ad lucrum spectat. Quodquum Cricoclopus probabilitatem vix habeat, unice probarem nomen, quod Ritschelio debetur, quod receperunt Fleckeisenus et Brixius: Cricolabus i. e. *λαμβάνων κρίκον* (condalium), nisi a codd. scriptura nimis discreparet; itaque scribo Circobulus (*κίρκος = κρίκος*), ‚Ringfreund, jugi memor'.

Collabus. Quae codd. scriptura est eadem lectio vulgaris. Cujus quum etymologia non appareret, Valla Colobus (Stummel), Palmerius ‚Cottabus' commenti sunt. Quae quum nomina inepta essent, Ritschelius primum vocem hybridam, compositam ex con — et *λαβ* — (*λαμβάνω*), i. e. ‚Greifezu' sibi deprehendisse visus est idque probavit Brixio Trin. I. At Plautus ejusmodi vocibus abstinuit.[1]) Itaque Ritschelius jam olim ‚Cholopus' conjecerat, postmodo[2]) Collabi nominis explicandi viam aliam ingressus est: ‚a *κόλλαβος* voce i. e. *μικρὸς ἀρτίσκος* vel *εἶδος ἄρτου μικροῦ* Schol. Arist. Pac. 1200, Ran. 507',[3]) ita ut nomen designaret famelicum panicellis contentum; idque Brix. Trin. II probavit. Sed etsi non nego nominibus et Crini et Collabi, sic explicatis, micis frustulisque intentum hominem optime notari, tamen, cur illi h. l. commemorentur, non perspicio. Nec Benselero adstipulor, quamquam recte statuit *Κόλλαβος* idem esse atque *Κόλλυβος*, quum *Κόλλαβος Κολλύβας* all. cum *κολο* — *κολοβο* — cohaereant,[4]) sed Spengelii l. c. sententiam probo, servum nomen accepisse *ἀπὸ τοῦ κολλάβου* i. e. ab epitonio, quo ut ad tendendas lyrarum chordas veteres utebantur, ita etiam in servorum tormentis usi esse videntur cfr. *κολλαβίζω* Poll. IX 129.

Crinnus; ita codd. Quod nomen quum explicare non possent, Scaligero et Guyeto auctoribus Ritschelius, Fleckeisenus, Brixius ‚Crimnus ediderunt, Bergkius nomen prorsus delevit. Crimnus autem est tamquam famelicus ‚*κρίμνοις* i. e. micis panis ipsis intentus, Kruemlein' cfr. lexic. s. v. Nunc vero, fortasse ut metro consulerent, Ritschl. Trin. II, Brix Trin. II lectionem magis ad librorum scripturam accedentem ‚Crīnus' excudi jusserunt, quam post Vallam jam Hermannus, Lindemannus, Benselerus receperant; ‚Grynus, Kiene' sine causa voluerat Pius. Nominis Crini notionem Ritschl. Schol. Bonn 1856 p. VI explicavit, illud deducens sive ‚a *κρίνον*, vocabulo ad *πτωχοῦ* significationem accommodato testibus Polluce VI. 187 ‚Hesychio, Suida.' sive ‚a *μάζης* specie quadam *κρίνον* vocata

[1]) cfr. p. 21. [2]) Ind. Bonn 1856 p. VI. [3]) cfr. lexica. [4]) Fick p. 45 et lexica.

secundum eundem Hesychium et Athenaeum III p. 114 f.' Neque vero video, cur famelicus servus etiam furax esse debeat. Quare codd. et vulgatam lectionem ,Crinnus'[1]) et etymologiam a Spengelio l. c. probatam accipio, ut id nomen ad aliud tormenti genus referatur, quoniam Hesychius κρίνη explicat κνίδη et κνιδῶντες idem valere testatur, quod κνίδῃ μαστιγοῦντες i. e. ,urtica verberantes'; ,Nessel'; deest ap. Bensel.

Trochus quintus est ex illis servis; B Truthus, C truchus, D t[e]ruchus, E [s]truschus, F terrucus, Z terruchus. Ritschl. Prolegg. Trin. p. 82 Chiruchus ,Χειροῦχος Handfest, Haltefest' proposuit idque Fleckeiseno et Brixio probavit; praeierat Salmasius ,Cheruchus' scribens. At haec lectio a codd. nimis differt. Deinde Bergkii Chrysus, quod est nomen servi Arist. Vesp. 1251., quamquam versus, quem constituit, omnium optime sonat, ob significationem displicet. Camerarius autem lectionem, quae est vulgaris, proponens ,Theruchus' magis librorum vestigia pressit; id compositum est ex Θηρο- (θήρα, θήρ) et - οχος (ἔχω) cfr. Αὐτοῦχος, Δημοῦχος all. Ne ea quidem notio placet. Librorum paene ipsorum scripturam Spengel. l. c. tenet, ,Trochus' ut scribatur, suadens, ut servus nequam ab ipso tormento, quo castigatur, nomen habeat cfr. ,mastigia'. Itaque versus est:

Trochus fuit, Cerconicus, Crinnus, Circobulus, Collabus'.

Chalinus.[2]) — **Crocotium;**[2]) Stich. 150 CD perperam Crocoticium[3])

Chrysalus. Lambinus coll. Bacch. 704 ,ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ vel ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ καὶ ἁλίσκειν'; rectius Χρύσ-αλος cfr. Ἵππ-αλος ad ἅλλομαι (ἀλ-) refertur cfr. II. 3. 128.

Collabiscus. Codd. Poen. I. 1 42 collubiscus, colubiscus; 66 collybiscum, collibiscum; I 3. 6, III. 1. 5, III 2. 3. 4. 6. collabiscus. Priorem formam Taubmannus primus in textum invexit eumque Gronovius, Rostius, Benselerus all. secuti sunt. Quod nomen ἀπὸ τοῦ κολλύβου i. e. nummorum intertrimentum ,Agio' cfr. Κολλύβας, quod argentarii accipere solebant, deducendum est; itaque in danistam aptius quam in villicum convenit. Lambinus autem: ,vel legendum Colobiscus, ut sit a graeco nomine κολοβός, quod significat mutilum et curtum, vel Colabiscus a nomine item graeco κόλαβοι, qui sunt panes'. Quam formam ,Collabiscus', codd. magis fultam, Ritschelius merito restituit. cfr. Collabus p. 26.[4])

Colaphus.[5]) Κόλαφος dorica forma est pro attico κόνδυλος cfr. Κολάφιος ,Knochenhauer'; nomen, quod ap. Bensel. deest, lorarium decet, sicut

Corax,[5]) Klopfer; nomen servum janitorem notat, quippe quod Κόραξ sit ferrum curvatum, quo januae attrahebantur et claudebantur ,Thürklopfer'.

Cordalio; quod nomen Brixius vertit ,Schmeisser'; unde deduxerit, nescio. Fortasse a κορδύλη ,Keule' descendit, ut sit Κορδυλίων ,Kolbe' cfr. Bensel s. v.

Cyamus.[6]) Getae nomen, quod Truculenti διασκευάστης, tritissimi illius servi Terentiani nominis memor, pro Cyami nomine ad servum culinarium[7]) aptissimo, — an nomen accepit propter victum servilem? — invexit, quum etiam in codd. II. 7. 23 legitimum nomen extrusisset, ab edd. ex l. c. repetitum erat. Sed quum relqq. ll., ubi servus ille vocatur, II. 7. 28: ,jube ea ferri intro, mi Cyame'; 30: ,impudens, mecastor, Cyamus', IV. 1. 4: ,Ad me magna nunciavit Cyamus hodie gaudia' ,nomen vere Plautinum Cyami extet, etiam II. 7. 23 nomen Getae, quod poëta, sicut Syri, evitavit, jure exterminatum est cfr. Spengel. N. J. 68 p. 618 Seyffert. Philol. 27 p. 463, quamquam Geppert. Pl. Stud. I. 107 illud ipsi Plauto vindicare studuit. L. c. II. 7. 23 autem palmaria emendatione Bugge sanavit ,Et nos te, Cyame' coll. Cist. IV. 2 57; alii ,esto Cyame', alii ,esto, Cyamust' proposuerant. Nom. deest ap. Bensel.

Cordalus; nominis notionem non expedio; deest ap. Bensel.; cogitavi de Κορυδ-Holm, unde Κόρυδος, — εύς, Κορυδαλός, cfr. Cordalio.

Davus[8]) — **Dromo** — **Epidicus**[9]) — **Geta**[10]) —

---

[1]) De duplici ,n' cfr. Fick p. LIX. [2]) p. 10. [3]) non enim est idem, quod Κροκωτίδιον. [4]) de suffixo p. 22. [5]) 10. [6]) p. 10. [7]) II 7. 55 ,Si tu ad legionem bellator clues, at ego in culina Ares'. [8]) p. 24 et 31. [9]) p. 10. [10]) cfr. s. v. Cyamus.

Decio Men. 733 BCD deceo. Nomen facile terminatione *ιων* a ‚Decius' deduxeris, ut sit nomen latinum; qualia nomina quum ap. poëtam rarissima sint, melius refertur ad *δέκα* vel potius ad *δέκομαι* (*δέχομαι*) cfr. *Δέχας*. Nomen deest ap. Bensel.

Exaerambus i. e. *'Εξ-αίρ* + *αμβος*; *ἄμβος* cohaeret cum *ἄμβη* i. e. poculum, itaque ‚qui pocula expromit'; nomen vinario dignum est; edd. vett. ‚Exareambus' formam inextricabilem dant, pro qua ingeniose Casaubonus sine causa Sarambus ‚Dorsch', quod nomen est vinarii cujusdam Plataeensis, proposuit. Nomen deest ap. Bensel.

Giddenis. Lect. vulg. Giddeneme; Rostius Giddemene; Mueller. Plaut. Pros. p. 698. Giddenis, enis, vel Giddenis, inis[1]) dubitanter proposuit. Codd. lectiones ignoro. Nutrix quum ex Libya orta sit, fortasse ei nomen est *Γινδηνίς*; *Γινδᾶνες* populus regionis Syrticae erat. Nomen deest ap. Bensel.

Gorgo — **Gripus**[2]) —

Grunio. Nomen Grumionis dubia originatione est; unde Lorenzius de latina stirpe, fortasse de grumus Erdhügel, cogitavit.[3]) Sed quum libri, qui Most. I. 1. 1. et 51 BDFZ ‚Grumio' testantur, in aliis quoque vocabulis literas m et n permutaverint[4]) eorum auctoritas in scribendo nomine, quod duobus locis reperitur, pluris pendenda non est; itaque propono Grunio, ut sit *Γρυνίων* a *γρυνός γρουνός* dürre Wurzel cfr. *Γρυνεύς*.

Halisca; nomen quum Benselerus ‚Geisel' vertat, ab *ἁλισκο-* derivavit; sed ab *ἅλς*, unde *'Αλιος* Meermann, cujus est deminutivum *'Αλίσκος*, *'Αλίσκη* deducendum est.

Lampadio, Lampadiscus[5]) a *λαμπάς*. — **Leaena**[6]) —

Leonida[7]) — **Libanus**[2]) — **Lydus** —

Lurcio. Huic suppromo ebrio ‚Lucrio' adhuc nomen fuit, fictum suffixo - *ίων* a stirpe latina Lucr-, i. e. *κέρδων* lucri cupidus[8]) cfr. Lucris; quod nomen in vinoso servolo mirum est. Itaque Fleckeis. N. J. 1870 p. 848 Lurcio i. e. *Λυρκίων* Mil. IV. 1. 29 recte protulit[9]) cfr. *Λύρκος* all. a *λυρκ* - i. e. Kehle. Substantivum hujus stirpis quamquam in lex. graecc. non invenitur, tamen nom. propr. inde prodeuntia extant. Quibuscum si comparamus ‚lurcare' i. e. mit ‚Gier fressen' et ‚lurco, onis' Schlemmer Pers. III. 3. 16, efficitur, ut Lurcio ‚Schlemmer, Kehle' significet, quod servoli moribus convenit. Nomen deest ap. Bensel.

Messenio[10]) — **Milphio, Milphidiscus.**[5]) —

Milphidippa; nomen descendit a *μιλφιδ* -, ut sit proprie ‚Kahlroessel'; *μίλφαι* enim et *μίλφωσις* est ‚Ausfallen der Haare an den Augenbrauen'. Illud ‚δ' etiam in Milphidiscus apparet, ut prototypon sit *μιλφίς, ίδος*, quod quidem non extat cfr. Pleusidippus all.[11]) Neque enim illam literam a Graecis hiatus vitandi causa illatam esse putaverim, quum, quominus Milphippa, Milphiscus dicerent, nihil impediverit.

Olympio[12]) **Olympiscus**[13]) — **Phaniscus** a *Φανίων* —

Paegnium, a *παίζω*;[14]) nomen servo adolescenti convenientissimum; quamquam in hunc servolum magis quadraret notio ‚Schelm', quam nonnulli Theocr. XV 50 esse voluerunt.

Palaestrio, a *παλαίστρα*; nomen accepit ut servus versutus, callidus, numquam consilii inops cfr. Gymnasium, Palaestra all.

Palinurus; i. e. qui verba semper aliorsum accipit herumque dehortatur; quare est alius stirpis atque Lucaniae promontorium.[15])

Pardalisca,[13]) nomen deest ap. Bensel. — **Pythodicus** cfr. Pythias serva — **Polybadiscus**[13]) —

Pinacium. In edd. legebatur Dinacium usque ad Ritschelium, qui Ind. Bonn. 1850, Stich. praef. p. X. proposuit Pinacium, lectionem a Bothio, Fleckeiseno all. receptam. Dinacium enim neque per se probabiliter est factum, neque brevem ab initio syllabam habet, qualem numeri 284, 334 requirunt, neque librorum memoria nititur: I. 3. 113 B piacium, relqq. Dinacium; 330, 334 B. Pin.-, relqq. Din.; II. 1; 2 A inacium, DFZ Din.-;

---

[1]) cfr. infr. voc. in is, inis. [2]) p. 10. [3]) sed cfr. Decio. [4]) permicies, pernicies all. [5]) p. 22. [6]) p. 22. [7]) Hoc nomen solus Pl. servo dedit. [8]) Buttm. II. 119. n. 34. [9]) Brixius in textum recepit. [10]) p. 24. [11]) p. 18. [12]) p. 24. [13]) p. 22. [14]) p. 17. [15]) Curt. geogr. Onom. griech. Spr., p. 153, 159

281, 288, 332. AB Pin., relqq. Din.; 284 omnes Pin. Pinacium autem quum in grammaticam tum in personam convenit.[1])

Pistus.[1]) Merc. II. 2. 7 Ac relqq., edd. vett. ‚Pisto ipsi'; Aldina ‚Praesto ipsi'; Ritschelius ‚Praesto ut sint'; neque negari potest nomen proprium illo loco more Plautino non desiderari.

Pithecium.[1]) Trucul., a πίθηκος; itaque serva figura et specie turpis notatur cfr. Mil. IV. 1. 42 ‚Pithecium haec est prae illa et spinturnicium'; deformitas enim simiarum apud Graecos in proverbio erat cfr. Simia all. Nom. deest ap. Bensel.

Pseudolus. Hoc nomen, quod Klein Gesch. d. Dram. II p. 542 ex ψεύδος et δόλος ‚Lug u. Trug' compositum putat sine dubio, ne opus illud mirabilium plenum legentes mirari desinant, etsi notione maxime perspicua est, tamen dubii est veriloquii. Primum quaeritur, utrum Pseudolus an Pseudulus scribendum sit. Hoc receperunt Lambinus, Ritschelius, Fleckeisenus ed. Plaut. all., commendant codd.: A arg. II 10; 15; cod. D II 2, II 3, II 4, IV 2; 3; 4, all.; illud probaverunt edd. vett., Bergkius, Osannus, Teuffel, Fleckeisenus all.; veram lectionem eam esse codd. evincunt: arg. I in acrosticho; A I. 2 c. DFZ; 394 c. relqq.; I. 5 c. BDFZ; II 1 c. B; II 2 c. BFZ; II 4 item; 703, IV. 1 c. BDFZ; V. 2 c.' BFZ; 1054, 1216 c. rell. praeterea B init. fab. c. CDFZ; I. 1. c. CDF; 13, 45, 85 c. CDFZ; I. 3. c. FZ; 326, c. CDFZ; I. 4. c. relqq.; 1193, 1197, c. CDFZ; V. 1. c. DFZ; 1245. c. CD; 1287. c. Da; 1294. c. CDFZ, ut reliqua omittam. Sequitur ut veriloquium indagemus. Ritschl. Prolgg. Trin. p. 318, Pseud. praef. p. 8, Passow., Benseler. ll. all. a ψευδής suffixo deminutivo fictum voluerunt Ψευδίλος; quod etsi aliunde confirmari nequit, tamen factum est ut Κρατύλος, Φειδύλος, Ἡδύλος all. At, quod Ritschelius ipse vidit, quare Pseudolum librariorum errori deberi dixit, Ψευδύλος latine fit Pseudulus neque unquam ‚υ' in ‚o' transiit; atque etiam si antiqua forma fuit Pseudulus, inde Pseudolus, quum antiqua vocalis ‚ŏ' ante ‚l' in ‚u', non ‚u' in ‚o' transierit,[2]) nunquam prodire potuit. Quam ne originationem lectione Pseudoli libris optime munita neglegere cogerentur, Fleckeis. N. J. 93 p. 9 sqq., Philol. 25 p. 148 sqq., adstipulante Teuff. Roem. Littg., vocalem graecam ‚υ' in latinam ‚o' saepe mutatum esse demonstrare studuit. Quam opinionem Corss. II p. 74 not. sqq.[3]) satis firmis argumentis improbavit; Plautinis temporibus graeca vocalis ‚υ' in latinam ‚o' nisi litera ‚r' vel vocali ‚o' posterioris syllabae sequentibus non transiit; ex antiquo illo ‚Pseudolus', ut in multis aliis vocabulis ‚o' ante ‚l' in ‚u' mutata, factum est postea Pseudulus[4]), unde demum Ψευδύλος fictum est. Quae quum ita sint, fieri non potest, ut nomen Ψευδύλος respondeat latino Pseudolus cfr. Σιμύλος Simylus ap. Ter.; aliud igitur veriloquium investigandum est. Quam Corss. l. c. p. 76 protulit etymologiam, e ‚Ψεύδαλος' factum esse Pseudolum, ‚Ψεύδαλος' autem descendere a stirpe ψευδαλο-, quae subesset etiam adjectivis ψευδαλέος, ψευδάλιος, quum Ardalum, Chrysalum all. a Plauto non mutata nomina videamus, non probo. Magis mihi arridet veriloquium, quo Pseudolus respondet graeco ψευδόλης, formato e ψεύδομαι, ut μαινόλης e μαίνομαι, σκωπτόλης e σκώπτομαι, φαινόλης e φαίνομαι, quod suffixum morem et studium aliquid agendi significat Buttm. II p. 420, ita ut Plautus nomen a Graecis acceptum secundum alteram declinationem flexerit cfr. Tyndarus Τυνδάρης, Aeschinus Αἰσχίνης all.

Sangarinus. Stich. III. 1. 29 BCD sagarinum sirum, FZ sangarinum syrum, A Sangarinum; item ‚n' testantur III. 1. 35. codd. omnes; 644 ABCD; 660, 680, 749 BCDZ. Quas lectiones reputantibus nobis apparet veram nominis scripturam esse Sangarinus, quae plerumque etiam in metrum quadrat. Itaque quatuor servorum nomina ejusdem stirpis habemus: Sanga, Sangarinus, Sangario — ita Trin. 1105 B c. rell., edd. vett., ‚Sagario' duce Salmasio Ritschl., Fleckeis., Brix. —, Sagariscio, quibus servus ex Bithynia oriundus — ibi enim flumen Sangarius — denotatur. Neque simplex ‚g', quominus veriloquium verum sit, impedit, quum Σαγαραῖοι Σαγγαρεῖς, Σάγαριος Σαγγάριος,

[1]) p. 10. [2]) Corss. II p. 140. [3]) Schuch. Vulgaerl. III. p. 251 sqq. [4]) sine dubio post Gracchorum aetatem. [5]) de transitu vocalis ‚α' in ‚o' et ‚u' Corss. II p. 143.

Σάγαλα, Σάγγαλα, Σάγαρις Σάγγαρος dicantur, flumen Sangarium alii a *Σάγγας,* alii a *Σάγαρις* vocitatum fuisse autument. At III. 1. 29 ,ad ejus conservum Sangarinum Syrum' servus ille Syrus esse dicitur! Sed jam Ritschl. Stich. praef. p. XIV l. c. duo nomina absurde copulata esse vidit et pro ,Syrum' merito ,feram' scripsit. Nam quod dubitanter opinatus est pro vero nomine Syri ab interpolatore Sangarinum substitutum esse, h. l. autem Plautinae manus vestigium esse relictum, Syrus a Plauto nemo servus, qui partes agit, vocatus est idque nomen ut nimis tritum poëta contempsisse videtur cfr. Bacch. 649. Ceterum non est neglegendum nomina gentilia in *ινος* exeuntia longam penultimam habere Buttm. II p. 429, Kuehn. I p. 721, in Sangarino eam correptam esse, quasi sit adjectivum in *ῐνος* terminans. Idem factum esset in Căsīna, si illud nomen a *Κάσος* recte deduceretur; de Aeschino cfr. p. 18.

Sagariscio. Pers. I. 1. 14 A ,Sagaristio'; 309 et saepius B ,Sagariscio', F. ubique ,sagaristrio;' etiam ,sagaristrius' libri testantur. Nomen, cujus originatio dubia est, Benselerus idem esse putavit, quod ,Angaristio', vel ,Agaristio', et a nomine persico *ἄγγαρος* i. e. reitender Postillon deduxit; quae notio in hujus servi personam convenit. Equidem cum ,Sangarinus' all. composuerim: *Σάγγαρος, Σαγγαρ-ίσκος, Σαγγαρ-ισκ-ίων,*[1]) ut cod. B. veram lectionem ,Sagariscio' teneat.

Sangario[2]) nom. deest ap. Bensel. — Scapha[3]) — Sceparnio —

Saurea; a *Σαῦρος σαῦρος* lacerta, ut qui in dominae animum se insinuaverit, non ut qui, quod erant qui putarent, in fabula nusquam compareat, quum lacerta in maceriis delitescat; suffixum est *έας,* non *ίας* cfr. *Χαβρέας, - ίας, Καλλέας, - ίας* cfr. Keil l. c. p. 71, 74, 152, 246 sqq. Hegea all, cochlea Trin. 523, Capt. 80.

Sceledrus: nomen originationis dubiae est, etsi Plautus, ut solet, latino vocabulo ad id alludit.[4]) Quod si ad *σκέλλω, σκέλος* cfr. *Σκελετίων* Klapperbein, *Σκελεβρεύς* Hager, *Σκελεφρός* all., retulimus, ut suffixum *δρος* explicemus, restat. Fortasse est adjectivum cfr. *φαι-δρός, σα-θρός* all; de exitu—drus cfr. Prisc. VII. 5. 17. p. 738. ,Solent enim poëtae hujuscemodi saepe nomina tam in er, quam in rus proferre' cfr. Colindrus, Phaedrus all.

Simmia. Quod nomen utrum simplici, an duplici ,m' scribendum sit, dubitatur. Quod quum a *σῑμός* descendat, Meinek. Men. p. 15 simplicem ,m' commendavit, cui Dindorfius Xen. Memor. I. 2 48. propter analogiam nominum ab eadem stirpe derivatorum, propter nummorum et inscriptionum auctoritatem assentitur. Neque tamen codices Xenophontis, Platonis, Plutarchi duplici ,m' adversantur. Simmia Pseud. arg. I. 6 BDC; Simia l. c. FZ, 744 BCDFZ, 764 B? CDFZ, IV. 1 AFZ, 944 BDb FZ, IV 2; 4 F. Unde profecti Bothius, Ritschelius, Fleckeisenus ,Simmia ediderunt; lect. vulg. Simia est. Sed si nomina a Benselero collata inspexeris, in scribendi ratione constanter titubari apparet, cfr. Fick p. 76 sqq. Neque quum Simmia a Simia diversum non sit, sed duplex litera ,m' studio illi, quo nomina hypocoristica firmabantur,[5]) debeatur, quidquam interest, quam scripturam praeferas.[6])

Sophoclidisca;[7]) cfr. Pers. 169 sqq., a *Σοφοκλῆς, Σοφοκλίδης.*

Sosia; a *σώσω*[8]) — Staphyla[9]) — Stasimus cfr. Gelasimus —

Sparax; *ἀπὸ τοῦ σπαράσσειν: σπάραξ* i. e, lacerator; nom. deest ap. Bensel.

Stalagmus; ita ab Atheniensibus homo parvae staturae, homunculus, jurgiandi et calumniandi causa dicebatur.[10])

Stichus; appellativum factum est in Pandectis — Syra —

Stratyllax. Truc. III 1. codd: Stratilax, reliqq. ll. exhibent ,Truculentus'; proprium servoli nomen in ipsa fabula nusquam legitur. Sed idem nomen extat Cic. Att. XVI 15. 3. ,Stratullax'. Itaque quum in libris ,y' et ,i' saepe permistae sint, Plautum ,Stratyllax' scripsisse apparet; nomen autem duplici suffixo deminutivo descendit a *Στρατός*: *Στρατύλος* vel potius *Στρατύλλος* cfr. *Στρατύλλα, Στρατυλλίς* Arist. Lys. 365; inde suffixo populari-*αξ*: *Στρατύλλαξ.*[11])

---

[1]) cfr. p. 22. [2]) p. 29. [3]) p. 23. [4]) p. 3. [5]) Fick. p. LIX. [6]) cfr. p. 16. [7]) p. 22. [8]) cfr. Bensel. s. v. [9]) p. 10. [10]) Meinek. Com. III. 177. [11]) Lobeck Paral. p. 125 sqq., Pathol. p. 446 sq.; Kuehn. I § 330 not. 5, Ritschl. Sohol. Bonn. 1856 p. 1 sq., Bergk. Z. f. A. 1848 p. 1126.

Strobīlus;[1]) a στρόβος (στρεφ-) adj. στρόβῑλος derivatum est.
Struthus; ita legi voluit Scaligerus Pers. 87 ‚Struthe acoluthe', ubi nunc cum codd. ‚struthea coluthea' extat.
Syncerastus[1]) **Sexcentoplagus**, nomen comice a Pl. fictum —
Thesprio, furando corpus alit — **Thessala**[2]) — **Trochus**[3]) —
Toxilus; suffixo deminutivo λος ex τόξον factum est nomen cfr. Τοξίλοι i. e. οἱ τοξικοὶ ἄνδρες.
Trachalio; a τράχᾱλος i. e. τράχηλος, = παχὺς τὸν αὐχένα.
Tranio. Nomen, cujus veriloquium ita impeditum est, ut Lorenzius id fortasse ne graecum quidem esse putaverit, haud scio an descendat a τρᾱνός i. e. τρανὴς (τράω τετραίνω), ut Φορμίων a φόρμος, Ὀλυμπίων ab Ὄλυμπος all.; itaque notat eum, qui pellucide et sincere loquitur;[4]) indidem Τρανίον ‚mein Traniochen' hypocoristico suffixo[5]) formatum est.
Tyndarus; quae nominisforma nisi ap. Plautum et Hyg. fab. 77 sqq. non legitur; ei respondet graeca Τυνδάρης,[6]) unde jam Τυνδαρίδης descendit, quasi nomen esset Τύνδαρος.[7]) Nomen utrum cum heroe Tyndareo componendum, an servus a patria dictus sit, dubito.[8])
Tyrbalio; a τύρβα, τυρβάζω suffixis -λος et ιων i. e. tumultuator.
Terentiani:
Archilis — **Canthara** — **Geta** — **Dromo** —
Byrrhia; Erasmus servum a patria nominatum esse male arbitratus est; nomen ἀπὸ τοῦ πυῤῥός i. e. ‚rubicundus' derivandum est, Πυῤῥίας Rothkopf; de transitu graecae literae ‚π' in latinam ‚b' cfr. Corss. I. p. 126 sqq., Quint. I. 4. 15. Id nomen potissimum vafris servis Thracibus, qui rufi erant, inditum est cfr. Arist. Ran. 730, Luc. Tim. 23. Phorm. I. 2. 1 ‚Si quis me quaeret rufus'; et ita apud Plaut. et Ter. servorum ruforum pluscula fit mentio.
Davus. Davi et Getae populares sunt Phorm. I. 1. 1. Quam frequens hoc servi nomen in comoedia fuerit, cognoscitur ex Philostr.: Icon. I: χρῆται γὰρ αὐτῇ (ἀλώπεκι) ὁ Αἴσωπος διακόνῳ τῶν πλείστων ὑποθέσεων, ὥσπερ ἡ κωμῳδία τῷ Δάῳ, Hor. ars p. 14 ‚Intererit multum Davus loquatur an heros', 237; ‚ut nihil intersit Davus loquatur et audax Pythias' all. Lindenbrogius coll. glossar. ‚Davus ἄφρων ἄπειρος' et Andr. I. 2. 23 ‚Davus sum, non Oedipus' servum a patria dici negavit; sed poëtae verba male intellexit.
Discus. Quod nomen utrum deminutivum sit: a Διο- (Διός) Διΐσκος Δίσκος Fick. p. XLVIII, p. 25, an apellativo δίσκος ‚rota' respondeat, dubitari potest; hoc coll. p. 10. magis placet.
Donax; ‚ἀπὸ τοῦ δόνακος a fistula sive calamo piscatorio;' neque quidquam aliud ex libr. EG, quibus Donatus constanter assentitur, lectione ‚Dorax, eliciendum est. Etenim Don.: ‚Nomina legionariorum Dorax, Simalio, Syriscus, Sanga mire composita sunt ad contemptum; nam Dorax ab arundine, veluti sit inanis et fragilis, sortitus est nomen'.
Dorcium; Δορκ- (δέρκομαι) cfr. δόρξ; ob oculorum claritatem et splendorem ἀπὸ τῆς δορκός, a dama, petitum est nomen.
Dorias. Quod nomen erant qui ab hasta, ‚quod in bello capta sit', deducerent; idque fieri potest; etenim etiam Δωριεῖς utrum ‚Giebelin' an ‚German' vertamus, dubitare licet. Eadem stirpe formata habemus Dorionis, Doriadis, Dori nomina; quae ut Δωρο- (δῶρον) stirpem esse putemus, suadent; Dorus enim eunuchus Thaidi dono mittitur, Dorias, serva meretricis, non dubium est quin dono fuerit data; Dorio leno libertus est.
Mysis — **Sosia**[9]) — **Sannio**[10]) — **Simalio**[11]) cfr. Lobeck pathol. 98 n. 38.
Lesbia. Lesbus quum vini suavissimi et candidissimi feracissima fuerit, nomen patrium mulieri vinosae et temulentae optime convenit.
Sanga; servus non a sarcinis componendis (a σάττω), sed a patria dictus est.[12]).
Syriscus; a Σύρος.[13]) —
Parmeno; ἀπὸ τοῦ τρόπου i. e. πιστός quod sedulo adest domino; quasi παρὰ τῷ δεσπότῃ μένων.
Pythias; duo nomina servilia hujus stirpis habemus, Pythodicum Aulula riae et Pythiadem. Erant, qui Pythiadis nomen ἀπὸ τοῦ πυθέσθαι ‚a sciscitando' deducerent, ‚ob calliditatem

[1]) p. 10. [2]) p. 24, 10. [3]) p. 27. [4]) cfr. p. 3. [5]) p. 21. [6]) p. 33. [7]) Buttm. II p. 119, not. 29. [8]) p. 17. [9]) p. 30. [10]) p. 19. [11]) p. 16. [12]) 29 sqq. [13]) p. 22.

aut quod omnia percontatur'. Sed πυθέσθαι primam correptam, Πυθιάς productam habet, ut nomen a Πυθιο- (Πύθιος Apollo vel τὰ Πύθια) derivandum sit cfr. Bensel.

Mida; nomen imprimis in Phrygia usitatum servo Phrygio inditum est.

Phrygia — Geta — Syrus —

Scirtus; ita Hec. ACP; scyrte DE, syrte F, syre B. Don. Sed Donatus ipse nomen verum explicat: ‚Scirtus: convenit nomen servo puero παρὰ τὸ σκιρτᾶν, quod est gestire et ludere' cfr. Lobeck. pathol. 94.

Sophrona; ‚a temperantia morumque frugalitate'; ea est nutrix cfr. Canthara p. 25.

Storax; Benselerus nomen ad στύραξ i. e. σαυρωτήρ retulit: ‚Spitz'; Donatus, Muretus ad στύραξ i. e. thus, ut per antiphrasin servus olidus nominatus sit, ‚cum styracis odor sit longe optimus'; hoc probo. De transitu graecae vocalis ‚υ' in ‚o' ante sequens r cfr. Corss. II p. 74 not., p. 81 sqq.

Cap. IV.

De nominibus terrarum.

Plautus, ut admirationem moveret, locis hominibusque, ubi et a quibus res gestas esse tradit ejusmodi, quibus ne stultissimus quidem fidem habeat, nomina inaudita imposuit. Qualia nomina, quae in tempus erant conficta,[1]) poëta ea arte fabricavit, ut veritatis aliquam speciem haberent et soni quidem similitudine aliquid significare viderentur, ita ut veritatis specie mendaciis fides conciliaretur. Quorum vocabulorum ut originatio et recta forma inveniatur, non res ipsa, quae nulla est, sed rei species, inanis ille sonus, quo fallere poëta voluit, exquirendus est. Huc spectant nomina illa, quae Curc. III. 1. 74 sqq. veris terris et nationibus, ubi Therapontigonus praeclara facinora perpetravit, addita sunt, comice ficta eoque aptius, quod edax parasitus ea profert: ‚Peredia', ‚Bibesia', Centauromachia, Classia Unomammia, Conterebromia. Venuste sane, ut nihil supra, Perediam ‚Esserreich' et Bibesiam ‚Sauffonenland' poëta ut provinciarum nomina commentus est, ita ut prius Perediae nomen referat et esca tamen comitem continuo potionem, quae Bibesiae nomine exprimitur, attrahat; sicut Festus jam: ‚Perediam et Bibesiam Plautus quum dixerit, intelligi voluit cupiditatem edendi et bibendi', Quin etiam Centauromachia cfr. Plut. Thes. 29. joculariter hic terram ‚Centaurenkampfland, fortasse Thessaliam, cujus olim partem tenuisse centauros notissimum est, significat. Classia vero Unomammia figura comica et fictione exercitum vel potius terram Amazonum ‚Amazonenheeresland' significat, cum classis, pro quo nomine regionum terminatione poëta ‚Classia' dixit, ut terrae cujusdam specie accuratius vocem indueret, exercitum declaret; Unomammia autem nihil aliud nisi versio vocis Ἀμαζών est, quam veteres ex α et μαζός constare arbitrabantur, quum Amazones ferramento candente alteramutram mammam sibi adussisse, ut una tantum reliqua esset, crederentur. Unomammia autem ‚o' pro ‚i', quae usitatior vocalis est, retinuit, sicut mulomedicus all. cfr. Corss. II p. 318 coll. I p. 702. Et ‚Libyamque oram omnem Conterebromiam' quum dicit, jocatur novata voce, ex ‚conterere' et ‚Bromius', Bacchi cognomine, facta; quo non illam terram omnem, quam Liber exercitu suo lustravit quamque obeundo contritus et fatigatus est, minus etiam terram a Bromio contritam, sed, id quod Gruterus statuit, Libyam illam designavit, quae vini ferax est, eamque ideo Conterebromiam vocavit, quod Bromium i. e. uvas, vinum conterebat. — Item ad risum movendum fictum est nomen Mil. I. 1. 13, quod in codd. est: Curcuslisdonis. Quod quum explicari nequeat, edd. probabilitercommenta substituere conati sunt, alii vocem ad luxuriam, alii ad terrorem vertentes. Camerarius proposuit Gurgustidoniis, quod edd. posteri receperunt, ‚a gurgustiis (i. e. humiles tabernae, ubi versari turpe erat) forma gentili, ut Chalcedonius all'. Quod nomen quamquam proxime ad librr. scripturam accedit, tamen et significatione — quid enim sibi vult illa parvarum casarum commemoratio? — et forma parum commendatur, quum Gurgusti-donius cum

[1]) cfr. Ferricrepidinae insulae Asin I. 1. 21. all.

Chalcedon-ius comparari vix queat. Fleckeisenus et Ritschelius commendaverunt Gorgonidoniis ‚Schreckenfeld, derivatum a *Γοργόνη, - ιος, - ειον* (*πεδίον*); placeat significatio, etsi minus jocosa; at unde terminatio ‚donius' explicatur? Hanc partem si spectes, probabile per se est, quod nomen Ritschelius in annotatione critica proposuit, Lorenzius in textum recepit: Crocodiloniis i. e. *Κροκοδειλωνίοις*, descendens a *Κροκοδείλων*, urbe Aegypti, non a *κροκόδειλος*, quod Lorenzius vult; sed nomen comice fictum vix putaverim, quum locus tantum quidam ignotus, non risum movens notetur. Verum jam vidit Guyetus ‚Gurgulioniis', pro quo forma antiquior[1]) Curculioniis a Brixio merito in textum recepta est. Plauti enim leporem et jocationes redolet illa a ‚curculio Gurgel, Kehle' descendens vox. — Deinde l. c. v. 39 inter nomina verarum terrarum atque nationum nomen occurrit, quod Plauti ingenio debemus. Codd., edd. vett. ‚Sycolatronidae'; quod esset nomen nationis cujusdam, compositum ex ‚*σῦκον*' et ‚latro' terminatione patronymica, qua Plautus saepissime usus est[2]); alluderetur etiam ad famosum sycophantarum nomen, ita ut Attica gens significaretur. Neque vero poëta vocabulum, e graeca et latina vocibus compositum, admisit. Ritschelius adstipulante Fleckeiseno invenit Cryphiolatronia, quod graecis litteris excussit Lorenzius *Κρυφιολαθρονίᾳ*. Quae vox cum *κρύφιος* et *λάθρᾳ*, quae eodem sensu sunt, cohaerens terram, quae non est, ipso sono quum notet, quam regionem nos vocamus Utopien, Plauto dignissima est. Praeceptum vero, quod supra commemoravimus, si tenebimus codicumque vestigia pressius sequemur, nomen, etsi minus jocose commentum, est probandum, quod a Geppert. Pl. Stud. II p. 11. propositum, a Brixio receptum est ‚Scytholatronia' ‚Scythensöldnerland'. — Porro Sardi l. c. 40. non sunt, ut alibi, Sardiniae incolae, sed, quod reliqua nomina confirmant, Sardiani, Sardium incolae. — Deinde in hoc vocabulorum genus referendum est cognomen pugnae, quam Poen. II. 25 Antamynides se cum hominibus volaticis habuisse mentitur. Id quin graecae originis sit, dubium non est; sed cujus potestatis sit librorum lectio ‚pentethronica', intelligi nequit. Quare Stephanus proposuit ‚Pelethronica', quo non clarior efficitur notio, nisi alludi voluit ad *Πελεθρόνιον*, Lapitharum terram, cujus mensura in versum non quadrat; Heraldo ‚pterornithica', Gronovio ‚ptenornithica' placebant; prius nomen versui non convenit; utrumque ut librorum scripturae nimis est dissimile, ita nullius momenti est ad excitandam rei admirationem. Proposuit P. Valla ‚pentetornica', Sarracenus ‚pentechronica'; illorum sententias jam Rost. Opp. II p. 309 sqq. refutavit; ipse conjecit ‚pentathlonica', quo nomine ad *πένταθλον* alluderetur et pugna interneciva, omnibus artibus summaque contentione commissa, significaretur. Sed cognomen hostes volaticos describere debet; itaque mihi placet *πτηνανδρωνικά* i. e. pugna cum viris volaticis commissa. — Denique quam accomodate poëta nomina finxerit, testimonio est oppidum illud in Arabia situm, unde Lucris erepta fingitur Pers. IV. 3. 37. Codd. BCD Cleusipolis, F all. Cleosipolis. Scripturam inexplicabilem edd. in ‚Eleusipolis', quod nomen Eleusinis, urbis Atticae, mentionem infert, mutaverunt. Sed hac forma versus ‚Eleusipolim Persae cepere urbem in Arabia' intolerabilis exsistit. Sincera igitur poëtae manus est in cod. A ‚Chrysopolim', quod nomen et in metrum quadrat et Arabiae oppido dignum est et in sequentia verba ‚plenam bonarum rerum' congruit. De oppidis h. n. cfr. Bensel.

Cap. V.

De nominum propriorum declinatione.

§ 1. Plautus et Terentius nomina propria, quae a Graecis acceperunt, latine formaverunt. Ea autem, quae jam ante Livium Andronicum Latini, memoria sola nisi, usu et commercio Graecorum, potissimum eorum, qui Siciliam et Magnam Graeciam incolebant, cognoverant, receperant usuque sua fecerant, quaeque, ut fit, tota latina erant facta, Plautus — nunquam Terentius — quum graeca exemplaria vertit, ea forma induta

---

[1]) Corss. I. p. 807. [2]) p. 11 sqq.

retinuit, qua vulgus illa noverat.[1]) Itaque reperimus apud eum[2]): Agameminus[3]) Ἀγαμέμνων Bacch. IV. 9. 22, Agathocoles[4]) Ἀγαθοκλῆς Pseud. 532, Most. 775, Men. 410, Aesculapius Ἀσκλήπιος, Alcumena Ἀλκμήνη, Alcumaeo Ἀλκμαίων Capt. III. 4. 30, Catamitus Γανυμήδης Men. I. 2. 134 c. codd., Cucinus Κύκνος Men. V. 2. 101 (854)[5]), Ulixes Ὀδυσσεύς, Procina Πρόκνη Rud. III. 1. 12[6]), Lertius Λαέρτης Bacch. IV. 9. 22,[7]) Teresia Τειρεσίας c. codd. Amph. 1126, 1144,[8]) porro Adoneus Ἄδωνις Men. I. 2. 35, Menelavos Μενέλαος Bacch. IV. 9. 22, Polluces Πολυδεύκης Bacch. IV. 8. 53, Bellerophanta Βελλεροφόντης Bacch. IV. 7. 12 all. Quae stirpis mutatio in nominibus, quae poëta ipse a Graecis traxit, etiamsi eam codd. nonnumquam testantur (cfr. Menechimus all.), agnoscenda non est.[9]) Nonnullae deinde nominum formae debentur graecis dialectis: doricae: Aleus, Alis, Aetna, Colaphus (Epicharm.), Theutimus?, Stalino?, Leonida (-δας), Geta (-ας), Miccotrogus, Phintia, Philodamus, Lysidamus, Pterela, Polymachaeroplagides, Trachalio; aeolicae: Aristophontes, Olympichus; jonicae Decio Δεκίων pro Δεχίων all.; adde Plothenius Πλωθειεύς Epid. III. 4. 2, 12.[10])

Nominum autem omnium terminationem poëtae prorsus latinam fecerunt eaque semper latinae flexioni accomodaverunt.[11]) Quod ita esse etsi edd. vett. non perspicitur, tamen librr. lectionibus diligenter examinatis cognoscitur et etiam sine codd. ope analogia nonnumquam evincit. Constat enim reliquos quoque illius aetatis poëtas numquam graecos verborum exitus, nisi perraro admisisse. Quare si quae vocabula graece finiuntur, graecis quoque literis exaranda esse videntur cfr. εὑρέτης Pseud. 704 all. Atque illud studium nomina ex praeceptis latinae linguae conformandi etiam aliis exemplis demonstratur cfr. p. 12, 19, 30. 29, 38, all. Ita terminatio ης transiit in us: Aeschinus Αἰσχίνης. Pseudolus Ψευδόλης, Tyndarus Τυνδάρης; ευς in us: Piraeus Πειραιεύς Trin. 1103 all., Eun. 290 all.; ευς in es: Daemones Δαιμονεύς. Achilles, Perses; sed quod Gronovius Cas. II. 6. 46. pro ‚Herculeis prognatis' legit ‚Herculeo prognatis', ut esset nominativus Herculeus, ferri nequit, quum Plautus ubique Hercules, i, i, em, e declinaverit; deinde Rhadama, hypocoristica forma pro Ῥαδάμανθυς. Et ut Graeci χρύσαωρ χρυσάορος, διάκτωρ διάκτορος, φύλαξ φύλακος all. usu variaverunt, ita Plautus exitum — τρωξ in τρωγος vertit: Artotrogus, Miccotrogus, atque etiam Pseud. II. 2. 70 (665) ‚Atque audin Harpage' semel Harpagus pro Harpax a Graecis traxit cfr. Ἁρπάγιος, — γεύς. Hoc statim loco commemoro ‚Megares' pro ‚Megara' Merc. III. 4. 61 merito a Ritschelio ex codd. B Megare seretriam, CD Megare feretriam, F Megarem fer. vestigiis restitutum. Deinde l. c. v. 62. probo Bothii lectionem ‚Lesbiam an'; codd. B Lesbiambo iotiam, relqq. lesbiam Boet.', ubi Guyetus formam non Plautinam ‚Lesbon an' proposuit, Ritschelius ‚Lesbumne an' edidit; poëta pro Lesbo dixit Lesbiam, ut Strabo cfr. Bensel. s. v.

§ 2. De nominibus, quae in ‚o' exeunt.

Graecae stirpes in ont, quum nomina latina in ‚ons', quibus conjungendae erant, graeco ‚ων' minus responderent, a veteribus Latinis litteris ‚nt' abjectis eodem modo ac stirpes latinae in ‚on' flectebantur, ut formarent: o, onis etc. Quod Prisc. VI p. 174 sqq. de Terentio testatur, idem de Plauto valet. Itaque nominum in o, etsi diversarum stirpium sunt (ωντ, οντ, ων, ον), declinatio eadem est; omnia in nominativo, sicut latina (ratio ration all.) ‚n' consonantem abjecerunt; id confirmat Prisc. l. c. Habemus igitur Antipho, onis, ni, nem, ne; itemque Clitipho, Ctesipho, Callipho, Demipho, Draco all., eodemque modo formata Artamo, Acanthio, Blepharo, Ballio, Io, Sappho, Thesprio all. Quae quum ita sint, dubium non est, quin Amph. I. 1. 89 edd. vett. falso praebeant ‚Creonti' pro ‚Creoni'; Bacch. IV. 7. 12 immerito legatur Bellerophontem, pro quo Bellerophantam

[1]) Ritschl. Opp. II. p. 490 sqq. [2]) Brix Trin. 425. [3]) Ritschl. l. c. p. 498; Fleckeis.: Agamemino. [4]) Ritschl. l. c. p. 488 sqq. [5]) codd. ‚Cycnus' vel ‚Cygnus': cujus quum prior syllaba producta intolerabilis sit, Ritschl l. c. p. 478, 482, legit ‚qui cluet Cycino patre'. [6]) Ritschl. l. c. p. 487. [7]) Fleck.: Lartius. [8]) Fleck. ep. crit. p. XX. [9]) Ritschl. p. 500; inde Aristophontes all. [10]) factum litera ‚n' intrusa, qua hiatus evitaretur; lect. vulg. Platenius, Schoem. Isae. p. 302 Plothičus. [11]) Corss. II. p. 816; Oedipo ablat. Poen. I. 3. 34 cfr. Οἴδιπος, Μέλαμπος all. Fick. p. XV.

(Beleropantam Plaut.) restituendum est.[1]) Et quamquam in codd. nonnunquam ‚n‘ finale extat cfr. Pseud. 599 BCDF ‚Ballion‘, tamen ubique ea litera exterminanda est et scribendum Rud. 159 Palaemo, Men. Porthao, Poen. Jacho all. Jam hac de causa Richteri commentum Asin. III. 3. 9. ‚Solon est‘ pro ‚Solonem‘ rejiciendum est; nec Plautum sapit Guyeti inventum Pseud. IV. 8. 7. ‚Dolona‘, quum poëta usque eo analogiam nominum latinorum secutus sit, ut semel (in Vidul.) Gorgo *Γόργων*, ‚Gorginis‘ flecteret.

Sed quod nomina graeca in *ων* exeuntia a Plauto suffixo ‚us‘ donata esse statuerunt vv. doct.,[2]) res valde dubia est aliterque explicari potest. Ita statim expellendus est Dolus ille pro *Δόλων* Pseud. IV. 8. 7 in edd. vett. allatis Tranii et Electri exemplis propagatus: ‚Superavit Dolum Trojanum atque Ulixem Pseudolus‘. Etenim codd. scripturam ‚dolum‘ ita accipiendam non esse jam id confirmat, quod Dolo ille, ut stolidus vir, huc non convenit. Douza sane per Dolonem voluit intelligi Ballionem, Simonem per Ulixem, quum Ballio a Simone, ut Dolo ab Ulixe captus sit. Sed eam interpretationem a vero aberrare quum tota fabula tum luce clarius demonstratur IV. 6. 1:

‚Viso quid rerum meus Ulixes fecerit,
Jamne habeat signum ex arce Ballionia‘.

Quare jure legitur ‚dolum Trojanum,‘ ut Ulixi rebusque ab eo gestis Pseudolus ejusque fallaciae opponantur. — Deinde Tranii exemplum nullius momenti est. Etenim etsi Fleckeisenus, Brix. Mil. v. 901, all. accusativum Tranium Most. III. 1. 33 et dativum Tranio V. 2. 47 — ‚Tranio, onis‘ vicies Plautus usurpavit — a nominativo ‚Tranius‘ descendere voluerunt, tamen, ut Paegnius (Capt.) intolerabilis forma esset pro ‚Paegnium‘, ita h. l. Tranium nominativum esse ut cum Ritschl. de turb. ord. scen. Most. p. 24, Brix Men. 980 contendam, jam sensus verborum efficit, qui hypocoristicam formam flagitat. Itaque eadem ex stirpe duplici suffixo — *ιων* et — *ιον* facta sunt nomina *Τρανίων* et *Τρανίον*, idem significantia, sicut Plautus saepius nominum exitus, qui jam Graecis in usu erant, variavit cfr. Lycus, Lyco, Olympio Olympiscus[3]) all. — Porro Capt. III. 4. 30. Fleckeisenus, Brixius, O. Ribbeck[4]) all. pro *Ἀλκμέων*, quae est altera forma nominis *Ἀλκμαίων*, deprehendisse sibi videntur ‚Alcumeus‘. Cod. B alc meus, edd. vett. Alcmaeo exhibent. Illam miram formam Brixius explicare studuit exemplis prorsus dubiis auxilio vocatis Pers. I. 1. 26[5]) ‚Titanus‘, Men, I. 2. 35 ‚Adoneus‘. Neque enim nomina latina virorum propria aut in ‚an‘ aut in ‚is‘ finita extant; quare poëta et ‚Titan‘ et ‚Adonis‘ evitavit. Neque vero ipse formas, quibus usus est, finxit, sed, quum Graeci *Ἄδωνις* et *Ἀδώνιος*, *Τιτάν* et *Τίτανος* cfr. *Τιτάνη* dicerent, eam recepit formam, quae propius ad usum latinum accessit. Contra nomina suffixo ‚o‘ finita apud Romanos frequentia erant; deinde nomen illius regis ex tragoediis latinis, ubi constanter Alcmaeo vel Alcumaeo dicebatur, quod Captivorum versus ipse testatur, ita notum fuit, ut Alcmaeus vel potius Alcumeus pro eo proferri nequiret; denique versus illa forma recepta durior fieret, quam perpeti possemus. Quare Lachm. Lucr. p. 162 ‚Et quidem Alcmaeo‘, melius Ritschl. Opp. II. p. 485[6]) ‚Ét quidem Alcumáeo Orestes et Lycurgus postea‘ proposuerant. — Neque Electri nomine Amph. prol. 99 pro ‚Electryonis‘ dicto graecam terminationem ‚*ων*‘ a veteribus Latinis in ‚us‘ saepe mutatam esse, quod nomina propria attinet, evinci potest. Etenim quum *Ἠλεκτρυώνη* et *Ἠλέκτρα* de eadem persona usurpentur, dubito an etiam nomini *Ἠλεκτρύων* altera forma *Ἤλεκτρος*, a Plauto recepta, responderit. Atque etiam si Plautus, quod facere potuit, quum id nomen in vulgus parum innotuerit, hanc formam ipse finxisset, contra analogiam non finxisset cfr. *Ἀριστογείτων* *Ἀριστόγειτος*, *Ἀντιφῶν* *Ἄντιφος* all. Reliqua exempla debentur vel conjecturae cfr. Euthemus *Εὐθήμων* vid. Bens. s. v., Agameminus Bacch. 946 Fleckeiseno[7]), vel incuriae editorum, velut Stich. V. 2. 16 ‚Ibi voster cenat cum uxore adeo et Antipho‘ erant, qui ‚Antipho‘

[1]) Fleck. N. J 1866 p. 8 sqq. [2]) Buecheler Rh. Mus. XV 436 sqq., Brix Capt. 559, Ribbeck Com. lat. relqq. p. 12. [3]) cfr. p. 22. [4]) Ritschl. Opp. II. p. 514. [5]) Ex duobus exemplis formae ‚Titanus‘, quae proferri poterant, alterum Men. V 2. 101 contra codd. et edd. vett. testimonium auctore Prisciano post Meursium, Salmasium all. a Brixio expulsum est ‚Tithonum, qui cluet Cycino patre‘ scribente. [6]) l. c. p. 508 ‚Alcumeus‘ tolerari posse dicit. [7]) Ritschl. l. c. p. 498; N. J. 1866 p. 11, 1873 p. 506.

cum praepositione ‚cum‘ conjungerent, ita ut ab Ἄντιφος descenderet,[1]) quum primo obtutu ‚Antipho‘ nominativum esse appareat.[2])

§ 3. De nominibus suffixo ‚a‘ ornatis.

Suffixo ‚a‘ finita sunt primum ea nomina, quae etiam graece in α exeunt: Palaestra, Syra, Phrygia all., deinde ea, quae graecam terminationem η habent: Alcumena, Casina, Circa, Danaa, Hecata, Nioba, Penelopa all., neque dubium est, quin poëta, qui Capt. III. 5. 93 phylacam (φυλακήν) all. dixerit, nunquam graecum η retinuerit itaque falso legatur Rud. III. 1. 12 Progne pro Procna vel potius Procina; Pers.: Lemniselene pro Lemniselena,[3]) Mil.: Glycere pro Glycera,[4]) Men: Teuximarche pro Teuximarcha; neque Terentius, qui ‚Omphala‘ all. scripserit, Heaut. IV. 1. 49 nominativo ‚Philtere‘ usus est[5]) Denique nomina graeca, quae in ας ita terminantur, ut penultima acuta sit, latine in ‚a‘ formantur. Quod praeceperunt jam Prisc. VI p. 119 sqq.: ‚apud Graecos in ας desinentia vel ης apud nos in ‚a, terminantur, ut Σωσίας Βυρρίας Χαιρέας . . . Sosia Byrrhia Chaerea‘ et Quinct. I. 5. 61 sqq. ‚Ne in a quidem atque s literas exire temere masculina graeca nomina recto casu patiebantur . . . ne miremur, quod ab antiquorum plerisque Aenea et Anchisa sit dictus‘, in quo non satis accurate dixit ‚plerisque‘ pro ‚omnibus‘; quod item Prisc. VI p. 164, p. 187 fecit, ubi non ‚semper‘, sed ‚plerumque‘ id fieri solere confessus est. Bentlejus[6]) autem eandem rem multis exemplis allatis demonstravit, ‚s‘ vero a recentioribus maxime[7]) cum ea tamen exceptione retentam esse confirmavit, ut eruditi homines semper ‚s‘ retinerent, vulgaris usus nomina servorum all. ad latinam consuetudinem plerumque immutaret.[8]) Itaque reperimus Callia, Clinia, Dinia,[9]) Phintia, Simmia, Sosia, Teresia, Leonida, Hegea, Saurea, Chaerea, Pterela — Byrrhia, Chaerea, Demea, Phania, Phaedria, Geta, Sanga. Quare etiam Trin. 916, ubi codd. et edd. ‚s‘ finalem literam exhibent, ut ‚Callia‘ vel c. codd. ‚Callistia‘ legamus, analogia suadet, et Epid. V. 1. 20, cfr. Poen. V. 4 101 versus ipse ‚Apella‘ pro ‚Apelles‘[10]) postulat. Nam quod libri nonnunquam adversantur cfr. Eun. III. 1. V. 2 all. CFP Chaereas, Heaut. 234 all. D Clinias etc. non plus valet, quam quod in iis feminina in ας, quae semper ‚s‘ servaverunt, nonnunquam abjecto ‚s‘ leguntur cfr. Eun. IV 1, 3 FG Doria Pythia etc.

Quam analogiam secuta sunt etiam nomina in ας desinentia, quae genetivum in ντος faciunt; quorum tria invenimus haec: Rhadama[11]) Ῥαδάμας, Antidama Ἀντιδάμας, Calcha. Neque enim aut Merc. V. 2. 104 lectio BDF calcas, C callas, Z c. Camerario chalcas, aut Poen. V. 1. 22; 2. 91, 98 librorum consensus in ‚Antidamas‘ quidquam valet, praesertim quum formae sine ‚s‘ receptae in versum quadrent atque Poen. V. 2. 98:

‚Surreptus sum illinc. hic me Antidama hospes tuus‘

versum saucium sanent. Quam formam ‚Antidama‘ probavit etiam C. F. W. Mueller[12]) nec Ritschelius adversatus est; qui, quum Plautinum esse ‚Antidama‘ agnoscat, ‚Antidamas‘ V. 1. 22 all. edidit: originem debere eam formam Poenuli retractationi post Plauti aetatem factae iis temporibus, quibus graecae formae jam receptae essent. Nomina autem in ης etiam latine in ‚es‘ exeunt; nam conjecturae debentur Truc. II. 6. 4 Homerida (Bergk.), Iliada (Bugge), Oiliada (Fleckeis.[13]), ubi legendum puto

‚Ex Homero jam[14]) et postilla[15]) mille memorari potis.‘

Atque etiam prosodia vocalis ‚a‘ eadem est atque vocum latinarum. Nam quum nominativus primae decli. ab initio ‚a‘ vocalem productam habuerit, quae deinde correpta est,[16]) et Plautus eam correptionem in thesi saepe jam admiserit, etiam in nomm. proprr. (i. e. graec. ‚η‘) ‚a‘ plerumque longa mansit: Aetna Mil. IV. 2. 73,[17]) Canthara Epid. IV. 1. 20 et Ter., Palaestra Rud. 234, Sophrona Phorm. 865, Scapha Most. I. 3. 2, 10,

[1]) cfr. Ἔριφος, Τήλεφος all. [2]) De ‚architectus‘ ἀρχιτέκτων Lor. Most. 746, Brix. Mil. 901. [3]) cfr. p. 23 et 38. [4]) Mil. II. 5. 26 edd. vett. Glycere, ubi codd. ‚e‘, ut saepe, pro ‚ae‘ dant, nisi nominativum ‚Glycera‘, praeferas cfr. Brix Trin. 8. [5]) codd. ABCFP Philterae, DEG Philtere i. e. dativus. [6]) Opp. phil. p. 517 sqq. [7]) aetate Ciceronis cfr. Quinct. I. 5. 63. [8]) Corss. II. p. 453. [9]) Studem. Festgr. d. phil. G. z. Würzbrg. 1868 p. 59 not. 1. [10]) cfr. Geta, Leonida. [11]) apud Pl. rectus casus non extat, sed accusativus. [12]) Z f. G. 1867 p. 559 not. [13]) N. J. 1873 p. 410 not. [14]) Spengel. [15]) Bugge. [16]) Corss. II. p. 451 sqq. [17]) ita Camerarius, Brix.; Aetnast Ritschl. Lorenz.

14 etc.,[1]) Casina all.; sed jam reperiuntur etiam ultima correpta Dorippă Merc. IV. 1. 17, Scaphă Most. 252, Syră Merc.[2]) — Nomina quoque, quibus suffixa ας ης sunt, s finali abjecta longa syllaba ‚a' finiuntur: Leonida Asin. 740, Sosia Amphit. 438, 439 all.;[3]) unum Simmiă Pseud. 944 ultimam brevem habet.[4])

Reliqui casus desinunt in ae, ae, am,[5]) a. Unum exemplum antiqui genetivi in ‚as' inveni Amph. arg. I. 1. Alcumenas; Plautus ipse ubique ‚Alcumenae' dixit. Alterum autem genetivi exitum in ai, etsi sunt, qui in nomm. masculinis improbent eumque reperiri negent nisi in posterioribus fabularum partibus, apud Plautum inveniri et, ubicumque terminatione ai pro ‚ae' in textum recepta corrupti versus sanantur, restituendum esse arbitror.[6]) Neque enim veridissimile est masculina in a, quum reliquos exitus omnes cum femininis communes habeant, etiam in terminatione ai cum illis consentire: Antidamai Poen. V. 2. 82,[7]) 85;[8]) Sosiai Amph. I. 1. 228, quod exemplum dubium est. Etenim quum libri et edd. vett. commendent: Amphitryonis te esse ajebas Sosiam? — Peccaveram: Nam Amphitryonis sŏcium ne med esse volui dicere', Lachmannus, Ritschelius, Fleckeisenus scripserunt ‚Amphitryonis Sosiai; qua scriptura recepta lusus, qui est inter Sosiam et socium, consimilis Capt. III. 4. 46 ‚Non equidem me Liberum, sed Philocratem esse ajo'[9]) deleretur.[10]) — Cujus genetivi vestigia, quae apud Terentium Bentlejus all. sibi videbantur deprehendisse, quum versus aliter constitui possint, ita dubia sunt, ut facile nulla esse concesserim:[11]) Heaut. III. 2. 4 codd. A c. relqq. Cliniae, Bentl. Umpfenb. Cliniai,[12]) Andr. II. 6. 8 hospitai, codd. hospitae.[11])

Accusativos, qui reperiuntur, graecanicos in ‚an', ne posterioribus quidem temporibus valde usitatos, Plautinos esse nego. Itaque excludendae sunt formae et Calchan pro Culcham[13]) et Saurean pro Sauream dictae; nam Sauream Calcham in versus prorsus quadrant. Versu autem Asin. I. 2. 72. ‚Dotalem servum Sauream uxor tua', ubi hiatus intolerabilis vitandi causa Douza all. ‚Saurean' invexerunt, aut cum Fleckeiseno Saureamne scribendum est[14]), aut Bergkii Beitraeg. p. 119. praeceptum probandum, quo formae in ‚an' graeco αν non respondeant, sed ex ‚am' natae sint, quod ‚m' ante vocales in debiliorem consonantem ‚n' transierit.[15])

Eodem modo flectebantur Antidama, Rhadama, Calcha; quorum primum nihil dubitationis habet. Jam Prisc. VI. 53 p. 239., Charis. I. p. 50. (66) veteres Latinos et Calchantis et Calchae declinasse viderunt. Quare cum codd. BCDF lectio Men. V. 1. 48 ‚Novistin tu illum? — Novi cum Calchante simul' numeros prorsus deleat, teste Prisc. V. p. 702. ‚Calcha', lectio vulgaris, est servanda. Eodem modo versus Trin. IV. 2. 82 sanandus est, quum librarii suam pro Plautina manu praebeant:

‚Sed ipse ubi est? — Pol illum reliqui ad Rhadamantem in Cecropia insula'.

B adihadamante, CDZ ad rhadamantem, F ad radamantem; pro qua lectione si ‚Rhadamam' inveximus, omnia bene procedunt. Nam equidem facilius adducor, ut credam librarios quam ignorarent formam ‚Rhadamam' in Rhadamantem mutasse, quam pro ‚Cercopia' scripsisse ‚Cecropia insula'. Et quum etiam aliae voces propter exitum ‚a' in primam declinationem latine transierint,[16]) id in Rhadama factum esse offendere non potest[17])

§ 4. De nominibus suffixo ‚is' finitis.

Nomina mulierum in ις terminata graecam declinationem sequuntur: Lucris, - dis, -

---

[1]) quartus pes jamb. sept. [2]) Fleck. Misc. p. 15. [3]) cfr. p. 16. [4]) Corss. II 454. [5]) Circam, Penelopam, Danaam, Omphalam etc. [6]) Brix Trin. 359, Corss. II. 719 sqq. [7]) lect. vulg. Antidamae. [8]) Mueller Antidamae, lect. vulg. Antidamarchi. [9]) cfr. p. 3. [10]) de aliis genetivis in ai cfr. p. 39. [11]) Ritschl. Prolgg. p. 143. Corss. l. c. [12]) de quo versu cfr. Brix Trin. 359. [13]) Ritschl. II. 487. [14]) Lachm. Lucr. p. 313 accusativos in ‚an' defendit. In Asin. Richter all. tum ‚an' 96, 101, 372 tum am' 86 etc. edunt. [15]) l. c. p. 118, Corss. I 265. De accus. in ‚en' cfr. p. 39 sqq. [16]) cfr. schema, ae all.; Buechel. Lat. Decl. p. 6. [17]) ‚Rhadamam' probaverunt Bothe, Ritschl. Prolgg. p. 87, Opp. II 491, Fleckeis., Brix.; Hermannus versum sanaturus scripsit ‚liqui'. Guyetus Rhadamantem tenuit, ‚insula' rejecit, ‚Cercopia' ‚Affenland' probavit. Quam versus restaurandi rationem Ritschl. Trin. II praef. LXIX probavit, motus non magis dubitatione, quae illi formae ‚Rhadamam' analogia sane non carenti inesset, quam cod. B vestigiis. Sed mihi non persuadeo Plautum nomen, quod ipse finxit, ‚Rhadamas' graece flexisse; quare Rhadamanthum scribere mallem, cujus commemoratio in parasiti ore, qui v. 933 ‚Omnium primum in Pontum advecti ad Arabiam terram sumus' dixit, mira non esset.

di, - dem all. A quo praecepto quatuor nomina discedunt: Archilis, Lemniselenis, Soteris, Thais. Primum igitur nomini Lemniselenidis, analogiam nominum barytonorum secutus, Plautus dativum ,ι', accusativum ,em' dedit; ubi studium illud latinae declinationis affectandae, priscae aetatis proprium et Plautino usui in formandis hominum nominibus respondens deprehendimus cfr. p. 23. Deinde Archilis Soteris Thais, quasi sit stirps in-ιν terminans, quales formae in vulgari sermone locum habebant,[1]) flectuntur inis, inem pro -idis, -idem. Etenim Truc. I. 2. 28 cd. A Archilenē testatur; ubi Spengelius formam non Plautinam, Archilinen' proposuit, Bergkius et Kiesslingius ,Archilinem' scripserunt. Et in Vidularia legimus ,illic autem Soterinis est pater' cfr. Prisc. VII 36, p. 317 H.[2]) Denique Eun. II. 2. 36:

,Sed Parmenonem ante ostium Thaïdis tristem video'

omnes in nomine Thaidis, quam formam libri tuentur, versum claudicare consentiunt. Quare Mureto pro ,Thaidis' placuit ,meretricis', Bentlejus correxit ,opperiri'. Sed nomen proprium ejusmodi locis necessarium est. Alii post ,Thaidis' inferciunt ,ego', quo pronomine recepto prima ,Thaidis' corripitur. Hermannus ,ostĭum hic Thaidis' protulit, ut elisione propter diaeresim neglecta in quarto pede pyrrhichius sit; id quod durius est. Bothius ,Thaidii' lectionem commendavit, quae forma a Terentii consuetudine abhorret. Verum invenit Sievers Act. soc.phil. Lips. II. p. 49 ,Thainis', proponens; quo fortasse ducunt etiam Donati verba: ,Thaidis: Et Thais legitur'.[3]) Denique Charisii p. 137 ,Mysis: Graeci demunt s literam, nostri parem nominativo vocativum custodiunt' falsa esse verba quis est qui nesciat?

§ 5. De nominibus in-es exeuntibus.

Nomina, quae huc pertinent, aut in-cles desinunt cfr. Agorastocles, Callicles, Charicles, Pleusicles, Pyrocles, Sosicles, Stratippocles, aut stirpi-ητ-respondent cfr. Chares, Chremes, Laches, Philolaches, aut tertiae declinationi graecae in ους adhaerent cfr. Naucrates, Phanocrates, Philocrates; Periphanes, Stratophanes, Theodoromedes; Daemones, Demosthenes, Lysiteles, Pyrgoteles, vel graece primae declinationis suffixa habent cfr. Callidamates, Aristophontes et omnia patronymica;[4]) Pyrgopolynices nomen solitarium est.

Ex nominibus in ης latinam terminationem ,a' recepisse videtur unum ,Geta'; quamquam, quin ei Γέτας, non Γέτης, responderit, non dubito. Bellerophanta et Thyesta, quo ducit dativus Thyestae Rud. II. 6. 25, non a Plauto primo recepta sunt. Lysitelis recto casu scribere vult Speng. Trin. praef. pag. VI coll. Buechel. Decl. p. 8. Et revera Trin. 705 codd. vocativum—is tenent et alibi quoque ,is' invenitur; sed cod. A tuetur .es'.[5])

Quorum nominum genetivus, ut Chremes Philolaches paulo infra tractanda nomina h. l. praetermittamus, exit in i, ai, ei. Suffixum ,i' sunt qui transitu in alteram declinationem facto explicent iique nomina, quae jam recto casu ,us' pro ,ης' receperunt, afferre possunt. Sed quum reliqui casus tertiae declinationis suffixa monstrent, id factum esse verisimile non est. Verum, si quid video, Corss. II p. 140, pag. 239 sqq. demonstravit dicens suffixi ,is' literam finalem, ut saepissime aliis in vocibus, abjectam esse. Atque ita constanter Plautus et Terentius ,i' exitum usurpaverunt, nunquam ,is'. Idque testatur Prisc. I p. 247 rem suo errore etiam magis confirmans: ,Sciendum quod in hujuscemodi nominibus, quando tertiae sunt, frequentissime veteres dativum proferunt pro genetivo T. in H. ,Archonidi filiam'. — Cujusmodi genetivi sunt Bacch. prol. 58 Pyrgoteli; Epid. I. 1. 27 Stratippocli; Pers. I. 1. 2[6]) Herculi, Rud. III 5. 42;[7]) Rud. I. 1. 4 Euripidi; Bacch. IV. 9. 14 Achilli; Trin. III. 3. 16 Charmidi[8]) V. 2. 59 Callicli[9]), Capt. III. 3. 13 Philocrati;[10]) Andr. II. 2. 31 Chremi cfr. Donat.: ,Sic Chremi, ut Achilli et Ulixi', Consent. p. 2050, Prob. Cathol. p. 24 ,et inveni genetivo Chremi'; Exc. Charis. p. 542 ,Chremi declinavit, ut Salustius Persi';[11]) Heaut. V. 5. 21 Archonidi c. cod. A idque

[1]) cfr. Epictesinem, Genesinem, Zoini etc. [2]) Num Plautus etiam ,Soteridis' etc. flexerit, non liquet, quum illud nomen in paucis fragmentis, quae extant, iterum non reperiatur. [3]) Descenduntne illae formae a deminutivis in -ιν cfr. Κάλλισιν, Ἄλκεσιν all.? [4]) cfr. p. 11. [5]) De transitu exitus -ης in ,us' cfr. p. 34. [6]) BCDaF, Herculis ADcZ; Bergk. vocat. Hercules. [7]) Corss. II p. 140 sine causa ,Herculis' formam agnoscit. [8]) A; relqq. -is. [9]) c. codd. [10]) Etiam dativus esse potest cfr. Brix. l. c. [11]) Chremis omnes libri et Umpfenb. (!!).

metrum exigit, codd. relq. — dis. Qui genetivi in ,is' reperiuntur, aut corrigendi sunt in ,i' Capt. V. 2. 22 Philocrati cfr. Fleck. ep. crit. p. XXIII, aut omnino non sunt genitivi cfr. Bacch. II. 3. 50 Archidemides nominativo legendus est; Capt. V. 2. 20 dativus necessarius est; Aul. arg. I. 10 Lyconidis Plauti non est; attamen ,Lyconidi' in fine versus facile scribemus.

Genetivi, qui in ae exit, exemplum unum est ap. Terentium Heaut. V. 5. 17 ,Phanocratae; quod quum librarii a feminino Phanocrata descendere putarent, scripserunt ,Phanocratae nostrae'. Sed hanc genetivi formam neque Terentius usurpavit, quare corrigendum puto ,Phanocrati nostri' vel, Phanocratai', si Terentius ejusmodi formis usus esset, neque Plautus adhibuit. Nam quod Most. 374 post Lambinum Philolachae ediderunt, libris BCD philolache c. spatio post-che, F-ches, Z-chis testantibus non magis confirmatur, quam quod, quum-chetis metrum turbaret, verum puto ,Philolachi'. Deinde Pseud. IV. 2. 33 ,Polymachaeroplagidae'[1]), quum accusativus,Polymachaeroplagidem' necessarius sit, nihili est. Neque Trin. II. 2. 78, ubi A Charmidi vel-de, BCD-de, F-dis probant, unde Muretus, Acidalius, Bentlejus Heaut V. 5. 21, Ad. V. 8. 23 ,Charmidae' commendaverunt, est dubium, quin Scaligero et Grutero praeeuntibus Ritschl. Prolgg. LXXXVI, Fleckeisenus, Brixius all. antiquam formam ,Charmidai, recte revocaverint. Deinde Ep. IV. 2. 61 ,Periphanae filium' III. 4. 71 ,Periphani filium', V. 1. 30 ,Periphani filiam' nunc merito scribitur ,Periphanai'. Denique Apoecidae Epid. II. 2. 3:

,Sed eccum ipsum ante aedis conspicor Apoecidae, Qualis volo, vetulos duo', ubi Acidalius ob verba ,qualis-duo' suasit ut legeretur ,et Apoeciden'[2]), quum genetivus, ut locus accurate notetur, necessarius sit, nescio an scribendum sit:

Sed eccos ante aedis conspicor Apoecidi.'

Genetivus autem, qui in ai exit, Plauto abjudicandus esse non videtur. Nam etsi ille exitus, quo Plautus plus decies[3]) in appellativis usus est, omni dubitatione minime caret, tamen, quum eo recepto metrorum damna facillime sarciantur, aliis correcturis ea praeferenda est. Neque quidquam valet, quod libri adversantur, quippe in quibus ne genetivorum quidem ,sapientiai' Mil. II. 2. 81., ,morai Stich. IV. 1. 31. all., de quibus nemo dubitat, ullum vestigium manserit, nisi BC Poen. prol. 51. comoediai' testantur.

Singularis est genetivi forma ,ei' Trin. V. 2. 59: ,Haec tibi pactast Calliclei filia. — Ego ducam pater'. Codd. edd. vett. dant ,Callicli', ut versus una syllaba brevior sit. Aliis aliter versum elumbem sanantibus Crain. Z. f. G. 1866 p. 475 coll. Patricoles all. scribi voluit ,Calliculi' vel ,Callicoli, quam lectionem Ritschelius haud scio an merito[4]) ridicule inventam esse censuerit. Ipse cum Bothio, Corsseno all. ,Calliclai' invexit; quae forma a nominibus in-cles nimis abhorret. Bergkius autem coll. Charis. p. 132, 10 K ,Pericles Pericletis, Stratocles Stratocletis', quam formationem testantur alii quoque grammatici et inscriptiones frequentant cujusque in similitudinem vocari potest *Καλλικλῆς Καλλικλῆδος*, proposuit ,Callicletis' idque probavit Fleckeiseno, Brixio, Ritschelio, etsi aliud exemplum Plautinae aetatis atque adeo seculi VII desideratur. Sed haec scriptura, quum nimis a codd. testimonio recedat, minus mihi placet quam forma ,Calliclei',[5]) quam idem Bergkius Phil. 14, p. 185 sqq. protulit: neque enim ea fide magis destituta est quam ,Callicletis.'

Dativus exit in ,i': Apoecidi, Callicli all., ablativus in ,e': Archidemide, Callicle all.; accusativus in ,em': Calliclem, Pyrgopolynicem, Stratippoclem, Naucratem, Thalem, Achillem, Chremem, Archidemidem[6]) all all. Quare dubium mihi non est, quin Plautus et Terentius, qui graecanicam formam in, an' ignorabant, ne in ,en' quidem nomina exire passi sint. Agnoverunt autem formas Calliclen, Periphanen, Stratippoclen, Apoeciden, Sosiclen Lachm. Lucr. p. 313, Kochius all., rejecerunt Hermannus, Ritschl. Prolegg. LXXXVII, Opp. II p. 487 not., 496 not., praef. Trin. II p. LXVIII, Fleckeisenus, Brixius all. Sed Bergkius[7]) formis in ,em' ubique agnitis, ut Men. 1123 BD ,Sosiclen' ex compendio So-

[1]) edd. vett; Ritschl.; codd. - de [2]) melius ,Apoecidem', ut III. 2. 22 accusativus finitur. [3]) Brix Trin. 359. [4]) cfr. p. 34. [5]) cfr. 'Ηρακλῆος genet. ap. Eurip. Heracl. 542 Πατροκλῆος all. [6]) Eun. II. 3. 36 Ac. relqq.; - den G et Nonius. [7]) cfr. p. 37.

sicle natum esse statuens, quum in fine versus legatur, Sosiclem sicut Calliclem Trin. 876. scribendum esse dicat, tamen Apoeciden Calliclen Trin. 874. ante vocales positas formas non graecas quidem esse putat, sed latinas, quarum ‚m' in debiliorem consonantem ‚n' transiisse videatur. Quae explicatio necessaria esset, quum librarios ‚en' pro ‚em' invexisse, ita ut alia quoque mutatione opus esset, vix credendum sit, sed loci aliter explicantur. Etenim Trin. 874, ubi B ‚Callicle najebat'. C ‚calliclen Aj., D ‚callicen aj.', FZ calliden aj.' exhibent, quam alibi cfr. v. 212 libri semper testantur lectionem Calliclem etsi recipimus, mutatio ab Hermanno proposita, ab Ritschelio aliisque probata ‚Calliclem quem aibat' supervacanea est, quum recto legat Brixius ‚Cálliclém ajebát', ut aiebat trisyllabum sit.[1]) Deinde Epid. III. 4. 12 jam edd. vett. jure ‚Periphanem Plothenium' scripserunt; ib. III. 4. 71 non ‚Stratippoclen audivi Periphani filium' sed ‚Stratíppoclem audívi Périphanái fíliúm' legendum esse apparet.[2]) Denique l. c. III. 2. 22 ‚Apóecidem is' lectio vulgaris diaeresi excusatur; Poen. V. 3. 11 autem ‚Giddenemen' lectio prorsus dubia est;[3]) Philolachen Most. 964. deterioribus libris debetur. — Apud Terentium Bentlejus quum reliquis locis ipse ‚Chremem' praetulerit, contra omnium cdd. auctoritatem Andr. 472, 532 ‚Chremen' pro ‚Chremetem' excudi jussit; idem Andr. 527 in fin. vers. c. BCEP, ubi AD glossatores ‚mem' testantur, Eun. 724 in fin. vers. c. omn. librr. praeter DG, Phorm. 63 in fin. vers. contra codd. auctoritatem invexit; ubi nunc ab omnibus ‚Chremem' scribitur. Neque Eun. 724 codd. consensus, ut Bentlejum sequamur, efficere potest, quum Chremen etiam Eun. 909 AC praebeant, quod versum turbaret, Andr. 361. BCEP Don. (?), Prisc. in fin. vers. ‚Chremen', AD autem ‚Chremem' commendent. — Quae quum ita sint, nullum exemplum accusativi in ‚en' apud Plautum aut apud Terentium probari potest.

Sequitur ut de vocativo nominum in ‚es' dicamus. Qui utrum in ‚e' an in ‚es' exeat, quaeritur. Ut terminationem ‚e' probemus, neque Periplectomenes, quum nomen senis sit Periplecomenus, neque Eutyches, quae falsa lectio est pro ‚Eutychus', afferre possumus. Corssen. II. p. 140, 239 autem eum vocativum factum esse abjecta litera ‚s' contendit in ‚Hercule' Cas. 294, quam formam etiam posteriores scriptores tenent, Chreme, Lache, Callidamate, Charmide, quum illa nomina sequantur analogiam nominum propriorum latinorum, in quibus jam veteres abjecta litera ‚s' vocativum in ‚e' formaverint cfr. Dite voc. nominis ‚Ditis'. Eaque forma, quum nomen versum claudat, restitui potest Mil. III. 1. 1 Pleusicle, Rud. II 7. 10 Charmide, IV 3. 64 Thale, Trin. I. 2. 112 Charmide; 103, 147 Megaronide, 10 c. codd. Callicle, ante consonantem Trin. III. 2. 79 Lysitele, III. 3. 1 Callicle, 1. 16 c. codd. et edd. vett. Charmide all. all.; alibi cfr. Trin. IV. 4. 2 O Callicle! o Callicle! o Callicle! excusari potest. In Terentio Bentlejus quoque constanter edidit formas in ‚e': Chreme all. Quo de exitu Don. Andr. III. 3. 6 ‚Chremes: legitur et Chreme', Prisc. I p. 288. ‚Etiam in illis, quae tertiae sunt, i. e. in omnibus graecis es producta finitis similiter invenis vocativum in e productam proferri, ut Chreme, Lache, Achille'. Eugraph. Andr. III. 3. 29 ‚Chreme vocativus graecus est'.[4]) Sed Ritschl. Prolgg. LXXXVII sqq., quem secuti sunt Fleckeisenus, Brixius all., apud Plautum vocativum ejusmodi vocum in ‚e' exire negavit, constanter teneri ‚es' in Lysiteles, Charmides, Callicles, Megaronides, Philolaches, Apoecides, Pleusicles all.; quare etiam Trin. 617 ‚Charmides' restituit. Idem tamen Mil. IV. 2. 63 c. Lindemanno all. ante consonantem ‚Achille' edidit idque Lorenzius probavit; Brixius sibi constitit c. cdd. et edd. vett. ‚Achilles' scribens. Sed quid de hac re, quod ad Plautum attinet, contenderim, nescio, quum codd. lectiones mihi in manu non sint. Aliter res se habet apud Terentium. Ibi Fleckeisenus et Umpfenbachius aequabilitati studentes constanter vocativos ‚Chremes', ‚Laches' ediderunt — alia nomina propria in ‚es' apud Terentium vocativo non extant — codd. autem vestigia aliud suadent. Librorum enim lectiones hae sunt:[5])

---

[1]) Trin. crit. Anh. v. 874, 944. [2]) cfr. p. 39. [3]) cfr. p. 28. [4]) cfr. Τισσαφέρνη Xen. Anab. II. 5. 3.
[5]) Sicubi non diserte nego, nomen in fine versus legitur.

Chremes:

Andr. III. 3. 6. AC^1P Don.; 18 A; 29 ABCP; 42 A; IV. 4. 44 ante cons. A, Arusian. V. 1. 4 BCDEGP, A?; 2 5. Ac. relqq. Prisc; 2. 13. a. c. Ac relqq. Don.; 27 AEG;
3. 24 a. voc. in person. mutat. A; 31 CPA?;
4. 3 AD; 14 ACDEP; 27 A?;
42 a. c. A Don.; 43 A? BCDP.
Eun. III. 3. 29 A: IV. 5. 4 a. c. ADCP; 6. 5 a. c. A; 13 —, 27 —[1]).
Heaut. I. 1. 23 a. c. — Cicero 42 —; 65 —;
96 a. c. AC^1F^2P; III. 1. 20 —; 27 —;
84 —; 2, 7 —; 45 —; 3. 24 a. c. —;
30 —; IV. 1. 18 A; 31 a. c. —;
52 —; 5. 39 DG, 47 —;
8. 3 —; 10 —; 18 A; 21 —;
V. 1. 10 a. c. —; 21 —; 65 —; 5. 5. —
8 a. c. Ac. relqq. corruptis; ibid. BCD.
Phorm. IV. 1. 1. reliq.; 11 EGD?; 3. 4 a. c. CD
8 —; 3. 14?[1]); V. 8. 67 —;
73 —; 91 —.

Laches:

Hec. I. 2. 59 Ac. relq.; II. 1. 9. item; 35 item,
2. 21 a. v. item; IV. 4. 11 relq.; 25 Don.[1])
42 a. v. Don.[1]); V 1. 6 a. c Ac. relq.; 25 reliq.
IV. 4. 100 —; V. 2. 19 a. voc. Ac. relq.

Chreme:

Andr. III. 3. 6 BC^2D^2EG Don. Eugr.; 18 BCDEG Prisc.; 29 DEG Eugr.; 42 BCDEGP; IV. 4. 44 a. c. BCDEGP Don.; V. 1. 4 — 2. 5 Don. Incert. de nom., 2. 13 —; 27 BCDP Prisc. Don.;
3. 24 BCEGP; 31 BDEG.
4. 3 BCEGP; 14 BGV; 27 BCDEGPV.
42 BCDEGPV; 43 EGV, Don.
Eun. III. 3. 29?[1]); IV. 5. 4 BEF; 6. 5 CDEFGP; 13 Ac. relqq. Don.; 27 ADEG.
Heaut. I. 1. 23 Ac. relqq.; 42 Ac. relqq.; 65 Ac. rel.;
96 BC^2DEF^1; III. 1. 20 Ac. rel.; 27 Ac. rel.;
84 Ac. rel.; 2, 7 item. 45 item; 3. 24 item;
30 item; IV. 1. 18. BCDEFGP; 31 Ac rel.;
52 item; 5. 39 ABCEFP 47 Ac. relq.
8. 3, item; 10 item; 18 reliqui; 21 Ac. rel.;
V. 1. 10 item; 21 item; 65 item; 5. 5 item;
8 a. c. —; ibid. A.
Phorm. IV. 1. 1 A, 11 ABCFP; 3. 4 AB?;
8 Ac. relq.; 3. 14 BCP; V. 8. 67 Ac. relq.;
73 item; 91 item.

Lache:

Hec. I. 2. 59 —; II. 1. 9 —; 35 —;
2 21 —; IV. 4. 11 A Prisc.; 25 —[1]);
42 —[1]); V. 1. 6. —; 25 A.
IV. 4. 100 Ac. relq.; V. 2. 19 —.

Quas quum consideremus, Chreme et Lache nullo versus detrimento ubique invehi posse apparet. Nam Chreme recepto unus oritur hiatus Andr. V. 3. 24, personarum mutatione excusatus; ‚Lache' autem efficit hiatum Hec. II. 2. 21, quem interpunctio et pausa post vocativum usitata defendit, V. 2. 19 diaeresis eum tolerabilem facit; IV. 4. 42

‚Vosmét vidéte jám Lachés et tu Pamphile'

versus lectione ‚Lache' duritia omni liberatur. Codd. autem testimonia examinantibus nobis luculentius firmari ‚Chreme', quam Chremes apparet. Nam ‚Chreme' omnes libri vicies bis testantur, ‚Chremes' ter; deinde cod. A, qui in Andria nunquam ‚Chreme' testatur et plerumque solus ‚Chremes' exhibet, inde ab Eun. III. 6. 13, in Heautontimorumeno et Phormione fere constanter ‚Chreme' confirmat, etiam quum reliqui libri ‚Chremes' proferunt. Quare librarius, qui archetypi, quod descripsit, lectionem ‚Chreme' primo in ‚Chremes' mutavisset, deinde constantia scripturae ‚Chreme' motus eam quam invenerat reddidisse videtur. Itaque ‚Chreme' veram lectionem esse contenderim. ‚Lache' autem ut scribamus, etsi libris minus commendatur, tamen, quum et a Prisciano confirmetur nec codicum consensu careat, analogia, quae est cum ‚Chreme', suadet.

Restat ut de mutationibus memoria dignis dicamus, quae nomina ‚Chremes' apud Terentium et ‚Philolaches' apud Plautum in Mostellaria perpessa sunt. Nam ut Chremetem Andr. 472, 532, Chremem ib. 361, 527, Eun. 724, 909, Phorm. 63, 865, Plaut. Asin. V. 2. 16; Chremeti Phorm. 1026; Chremetis Andr. 247, Chremi ib. 368 legimus, ita Philolachetem Most. 317[2]) 349 616, Philolachem 284, 313, 964, 975; Philolacheti 797, Philolachi 167,[3]) 1082; Philolachetis 560, Philolachi[4]) 374; Philolachete 1011, Philolache 245 reperimus. Qua de re scripsit Don. Andr. II. 2. 24 ‚Chremem et Chremetem, ut Darem et Daretem', III. 2. 50 ‚Continuo mutatur declinatio et mox Chremem mox Chremetem dicitur'. In qua formandi ratione poëtae metri necessitate coacti Graecos, qui nominum in ης (ητ) exeuntium alias vocalem alias consonantem stirpem usurpaverunt,[5]) sunt secuti.

[1]) de reliquis librr. nihil annotatum est ab Umpfenb. [2]) c. codd.; Ritschl. ‚-chem'. [3]) codd. -cheti, post Camerarium propter versum -chi. [4]) cfr. p. 39. [5]) Buttm. § 57 not. 7. 1.; Λάχης, -ητος et -ου Lobeck. paralipp. 164; cfr. mercem, herem all.

Indices duos, quos subjuncturus eram, quum fines, qui hujusmodi commentationib esse solent, jam excesserim, addere prohibeor.

E. Koenig.

Addenda:

Verba: ‚Nom. deest ap. Benseler.' insere p. 9. v. 2, 7; p. 10. v. 2; p. 13. v. 2, 11, 25; p. 16. v. ·: p. 19. v. 46. — p. 38. not. 1: cfr. Giddenis. p. 28.

Corrigenda:

p. 3. v. 51. lege praesumpsit.	p. 10. v. 6. lege noverit.	p. 17. not. 8. lege 34.
„ - „ 36. „ Men.	„ - „ 10. „ adoptaverat.	„ 18. „ 5. „ 24.
„ 6. „ 9. „ Gongrio.	„ - „ 41. „ *Περιπλεκομενός*.	„ 19. v. 19. „ 30. pro 33.
„ 8. „ 18. „ Ex quibus Thraso.	„ 12. „ 36. „ Alciphr.	„ - not. 3. „ 34. „ 37.
„ - not. 9. „ 3.	„ - „ 49. „ Dionysi-dorus.	„ 23. „ 3. „ 28. „ 31.
„ 9. „ 1. „ 28 et 10.	„ 13. „ 28. „ *Μηναγόρας*.	„ 31. v. 32. „ appellativo.
		„ - not. 6. „ 34.

Menda aliquot interpunctionis all. facile correxeris.